



Disquisitio historico-dogmatica exponens Röllii litem de aeterna generatione filii Dei a Patre

<https://hdl.handle.net/1874/310832>

DISQUISITIO HISTORICO-DOGMATICA

EXPONENS

RÖELLI

LITEM DE AETERNA GENERATIONE FILII DEI A PATRE.

DISQUISITIO HISTORICO-DOGMATICA

EXPONENS

RÖELLII

LITEM DE AETERNA GENERATIONE FILII DEI A PATRE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

LUDOVICI GERARDI VISSCHER,

LIT. HON. DOCT. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

HENRICUS JOANNES ERNESTUS VAN HOORN,

Amisfurtensis.

S. S. MY. CAND.

AD DIEM XVIII APRILIS MDCCCLVI, HORA I.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD POST UITERWEER & SOC.

MDCCCLVI.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

BY JOHN DEWEY

PHILOSOPHY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS


THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

PARENTIBUS
OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.



PRAEFATIO.

Laetor sane ego quod finem spatii academici adspicio, tempusque appropinquat, quo summos in Theologia mihi licebit petere honores. Cum vero, ut hos assequi possem, specimen mihi esset conscribendum, hujus argumentum in dogmatum historia quaesivi, quae ideo in primis magni facienda mihi videtur, quod vitae Christianae progressum, et spiritus Christi pro diverso populorum ingenio variis aevise explicantis vim et vicissitudines nobis proponit, ostenditque quinam errores, quatenam vitia nobis sint evitanda, quatenam sit ingredienda via ut tandem ad scopum nostrum, veram Dei, Christique cognitionem perveniamus, et illa cognitione vitam habeamus aeternam. Campo autem historiae dogmatum tam late patente, dubius quodnam argumentum pertractandum sumerem, oculos in meam ipsius patriam converti, elegique litem quam Vir Clarissimus

Hermannus Alexander Röellius cum Campegio Vitringa de aeterna generatione Filii Dei a Patre habuit; quum ita illius periodi indoles mihi innotesceret, verusque hujus dogmatis sensus a me investigaretur et cognosceretur. De illa igitur controversia, quae ecclesiam Neerlandicam per triginta amplius annos perturbavit, multorumque animos odio implevit Theologico quia doctrina ecclesiastica periclitaretur, et Röellii sententia censeretur Cartesianismum redolere, hoc, qualecumque sit, conscripsi specimen, quod ut benevole accipiatur, etiam atque etiam rogo.

Avide vero hanc opportunitatem arripio, ut publice gratum animum testificer erga vos, Parentes Carissimi! qui inde a tenera aetate meam felicitatem et hujus et futurae vitae efficere estis conati. Nunquam enim nec labori, nec curae, nec sacrificiis pepercistis, ut filius votorum compos fieret; semper fidem in Jesum Christum tanquam unicam ad veram vitam ducentem mihi signastis viam. Copiam verborum a me ne exspectetis, sed persuasum habeatis beneficiorum, quibus me cumulastis, amorisque vestri memoriam semper sanctam mihi fore. Deus diu vos sustentet, incolumesque servet, ut liberis vestris utilissimis monitis et cura adesse possitis, donec aliquando, sit sero! placida vobis contingat quiescere morte.

Nec non gaudeo me vobis gratias agere posse, Praeceptores Clarissimi, quorum institutione per aliquot annos frui mihi licuit. Primo loco ad te me conferre, religio

est, Promotor aestumatissime, Vir Cl. Vinke. Verba mihi desunt quibus benevolentiam exprimam qua me excepisti; consilia, monita, auxilium quibus mihi adfuisti. Amicitia tua, Cl. Vir, qua per totam vitam academicam et in primis proximis his me ornasti mensibus, si non prorsus indignus videar, discipulum condecorare pergas. Semper curae et consuetudinis tuae grata mihi erit recordatio. Utinam D. O. M. te conservet, Suaeque tibi adsit opera in munere gravissimo fungendo.

Sinas etiam te compellem, Cl. Bouman, cujus docta institutioni per trium annorum spatium sum usus; cujus sermonem elegantem, juvenilemque semper sum admiratus ardorem. Verba parum culta ne spernas, rogo, sed ducas me ex imo pectore gratias tibi agere, atque precari: Deus senectuti, corporisque imbecillis viribus propitius auxilietur, ut diebus muneris tui supremis ita juventuti studiosae prodesse possis, ut ipse in votis habes ac deliciis.

Nec te praetermittere volo Vir Cl. Ter Haar. Lectio- nibus tuis interesse quamvis mihi non contigerit, humanitas, liberalitasque tua tamen mihi innotuerunt. Cathedram post Viri desideratissimi Royardsii mortem tibi commissam, diu ornare, Academiae et juventuti emolumento esse pergas.

Tandem me ad vos converto, Viri Clarissimi Scholten, Kuenen et Kist, quorum egregia institutione et consuetudine familiari per unius anni cursum fructus sum. Be-

Hermannus Alexander Röellius cum Campegio Vitringa de aeterna generatione Filii Dei a Patre habuit; quum ita illius periodi indoles mihi innotesceret, verusque hujus dogmatis sensus a me investigaretur et cognoscerebatur. De illa igitur controversia, quae ecclesiam Neerlandicam per triginta amplius annos perturbavit, multorumque animos odio implevit Theologico quia doctrina ecclesiastica periclitaretur, et Röellii sententia censeretur Cartesianismum redolere, hoc, qualecumque sit, conscripsi specimen, quod ut benevole accipiatur, etiam atque etiam rogo.

Avide vero hanc opportunitatem arripio, ut publice gratum animum testificer erga vos, Parentes Carissimi! qui inde a tenera aetate meam felicitatem et hujus et futurae vitae efficere estis conati. Nunquam enim nec labori, nec curae, nec sacrificiis pepercistis, ut filius votorum compos fieret; semper fidem in Jesum Christum tanquam unicam ad veram vitam ducentem mihi signastis viam. Copiam verborum a me ne expectetis, sed persuasum habeatis beneficiorum, quibus me cumulastis, amorisque vestri memoriam semper sanctam mihi fore. Deus diu vos sustentet, incolumesque servet, ut liberis vestris utilissimis monitis et cura adesse possitis, donec aliquando, sit sero! placida vobis contingat quiescere morte.

Nec non gaudeo me vobis gratias agere posse, Praeceptores Clarissimi, quorum institutione per aliquot annos frui mihi licuit. Primo loco ad te me conferre, religio

est, Promotor acstumatissime, Vir Cl. Vinke. Verba mihi desunt quibus benevolentiam exprimam qua me exceperisti; consilia, monita, auxilium quibus mihi adfuisti. Amicitia tua, Cl. Vir, qua per totam vitam academicam et in primis proximis his me ornasti mensibus, si non prorsus indignus videar, discipulum condecorare pergas. Semper curae et consuetudinis tuae grata mihi erit recordatio. Utinam D. O. M. te conservet, Suaeque tibi adsit opera in munere gravissimo fungendo.

Sinas etiam te compellem, Cl. Bouman, cujus docta institutioni per trium annorum spatium sum usus; cujus sermonem elegantem, juvenilemque semper sum admiratus ardorem. Verba parum culta ne spernas, rogo, sed ducas me ex imo pectore gratias tibi agere, atque precari: Deus senectuti, corporisque imbecillis viribus propitius auxilietur, ut diebus muneris tui supremis ita juventuti studiosae prodesse possis, ut ipse in votis habes ac deliciis.

Nec te praetermittere volo Vir Cl. Ter Haar. Lectio- nibus tuis interesse quamvis mihi non contigerit, humanitas, liberalitasque tua tamen mihi innotuerunt. Cathedram post Viri desideratissimi Royardsii mortem tibi commissam, diu ornare, Academiae et juventuti emolumento esse pergas.

Tandem me ad vos converto, Viri Clarissimi Scholten, Kuenen et Kist, quorum egregia institutione et consuetudine familiari per unius anni cursum fructus sum. Be-

nevolentia, qua me excepistis, doctrinae copia a vobis mihi exposita, optima quae traditis praecepta, ut amore studii vere Theologici juvenes imbuantur; ecce beneficia! quorum nunquam non dulcis mihi erit memoria, quorum fructus ét nunc percipio, ét per totius vitae spatium percepturus sum. Cum his te jungere mihi liceat, Vir Cl. Opzoomer, qui una cum illis regiam scientiarum mihi monstravisti viam, templique aditum mihi aperuisti quod in dies majorem evolvit pulchritudinem. Numen Supremum diu vobis parcat, Academiae, Ecclesiae, Patriae utilitati et ornameto.

Valete et vos, Sodales dilectissimi, Amici conjunctissimi! quibuscum in spatio academico degi. Varia nos fata vocant, variae nos viae ducent. Progrediendum est. Quocumque vero fortuna nos agat, amicitiae vinculum in almae matris sede contractum ne divellatur. Pulcerrimos flores mihi in vestra consuetudine crevisse, semper confitebor, vestrumque meminisse tristis semper mihi erit voluptas. Vivite felices, dulcissimorum compotes votorum, meique aliquoties sitis memores.



INTROITUS.



Circumspicienti mihi, de quo specimen scriberem, argumentum, imprimis arrisit *dogmatico-historicum*. In omni enim Theologiae historia tractanda nulla pars tanti facienda videtur, quanti facienda est illa, quae de *dogmatum* agit historia. Dogmata enim, quae praeterlapsis aevis in ecclesia Christiana invaluerunt, si accurate inquirimus et nobiscum perpendimus, totius Theologiae velut compendium nobis exhibent, unde omnia ejus fata cognosci et explicari possint. Historia autem dogmatum, minime placitorum, quae nullo vinculo inter se sunt juncta, est enumeratio et expositio, sed intimae vitae Christianorum, pedetentim se explicantis, imaginem nobis ante oculos ponit. In ea videmus, quomodo humanum genus per longum temporis spatium, acerrimis agitatam litibus, insatiabili actum siti, ad majorem veri bonique progressum sit cognitionem; quomodo errorum evanuerint tenebrae; quomodo radii veritatis suam sparserint lucem. Novae sententiae auctor saepe, cum dogmatum historiam inspicit, eam ab aliis jam

expressam reperiet; quomodo ejus sectatores cum adversariis certaverint videbit, sequelas cognoscet inde exortas; vitia, quibus laboret, perspiciet; aliorumque exemplo, ut ea evitet, admonitus erit. Haec mecum reputans, magni habendam illam religionis esse historiam opinor, et praecedentium Saeculorum, et nostri temporis, et exterorum, et nostrae in primis patriae. Cujus intra terminos scrutari praesertim mihi lubuit, quia ejus historia, eheu! universe parum nota, multarum actatum magnis abscondita est latebris. Compendiis enim suis scriptores Germanici nostrae Theologiae historiam parvi faciunt, vel plane velut ignotam habent, dumque exterorum placita saepe et lucide exponuntur, nostrorum Theologorum opera et controversiae fere nunquam in censum veniunt. Eorum autem cognitionis necessitas et momentum nostro in primis tempore magis sentitur, utilitas et pondus magis perspicitur. Quid? multi egregiam operam impendant, qui monographiis conscribendis hunc illumve virum, doctrina, ingenio, meritisve conspicuum depingunt, ut a posteritate probe cognoscatur, et laudis, qua dignus est, corona ornentur. Haec ego considerans, argumentum quaesivi in nostrae Theologiae historia, ut ita lapillum, quamvis parvum, afferrem aedificio splendido illi, nimis ignoto. Accuratius cognoscere mihi proposui virum Hermannum Alexandrum Röellium, qui eximiis dotibus praeditus, gemina functus Cathedra, inter Theologos Nederlandicos egregium obtinet locum; qui placitis suis doctrinaque turbam in ecclesia movit, multorumque animos timore et horrore replevit; qui Synodorum, Classiumque decretis vir periculosus, imo detestandus est habitus. Cartesii enim sectator doctrinam ecclesiasticam oppugnare erat ausus, et coram rationis tribunali rejicere dogmata sancita, in primis arripiens dogma de *aeterna generatione Filii a Patre.*

Quam litem ab eo gestam exponere et quodammodo dijudicare propterea me allicuit, quod ita ejus aetatis opiniones in lucem prodirent, nec non ejus dogmatis origo et sensus, cum ad fontes esset recedendum, ex quibus de ipsius et antagonistarum sententia iudicium hauriri posset.

Historice in specimine agam. Priusquam vero ad ipsam procedam Saec. XVII^{mo} gestam controversiam, in antecessum nonnulla mihi sunt memoranda, quae disquisitioni nostrae lucem afferre possint, deque hujus dogmatis origine et fundamento biblico agant.

Hominum ingenium et animus religiosus postulant Deum, non tantum transcendentem, qui dicitur, supra omnia et ab omnibus rebus creatis diversum, ut subjectum absolutum, sed Deum, cujus natura secum fert, ut se revelet, hominibusque omni sua gloria innotescat. Deus enim se non manifestans, nequa sua communicans est causa sine re causata, potentia sine effectu, sapientia sine opere, amor sine objecto, scientia sine contento, verbo Deus vita et operibus carens, Deus otiosus. Quum autem Deus gaudeat omnipotentia, sapientia, amore, scientia absoluta, aliter fieri nequit, quin se patefaciat; sin minus, causa absoluta, sapientia suprema, verbo Deus non esset. Causae autem notio cum ferat, ut sine re causata causae adaequatâ, existere nec cogitari possit, Deus similiter sine objecto patefactionis sibi adaequato cogitari nequit. Quod quum veteres intelligerent, neque in mundo patefactionem illam adaequatam adspicerent, de Deo philosophantes perfectum sibi mundi exemplar fingebant, quod ab omni aeternitate apud Deum fuerit, et in mundo visibili gradatim efficiatur. Objectum fuit Metaphysices, postulatum animi cupientis Deum cogitare atque habere non tantum remotum, otiosum, a mundo diversum, sed et operantem, immanentem, qui

dicitur, in mundo, omnipraesenti sua virtute ubivis agentem.

In V. F. hoc placitum jam nonnunquam occurrere incipit, et *Sapientiae* nomine indicatur ¹⁾. Sic in Jobi libro legimus de *Sapientia* : „Deus intelligit viam ejus, et Ipse novit locum ejus; quum faceret ventis pondus, et aquas libraret mensura; cum daret pluviae statutum, et viam fulguri tonitruum, tunc vidit eam et enarravit eam” ²⁾. In Proverbiis : „Jehova, inquit *Sapientia*, Jehova possedit me principium vitae; ante molitiones ejus, inde usque; ab aeternitate uncta sum; quum non essent abyssi, genita sum; quum scatebrae non essent gravidatae aquis. Quum nondum montes depacti essent, ante colles genita sum. Quum nondum fecisset terram et circuitus, et summam pulverum orbis habitabilis. Quum aptaret coelum, quum nervaret aetherem sursum; quum poneret mari terminum; quum fundamenta terrae sinuaret; tum existebam apud eum Alumna, eramque oblectationes quotidie, lusitans coram ipso omni tempore” ³⁾.

Nec aliter in libris V. F. apocryphis. In libro *Siracide* ⁴⁾. Προτέρα πάντων ἔκτισται σοφία. κύριος αὐτὸς ἔκτισεν αὐτήν, καὶ εἶδε καὶ ἐξηρίθμησεν αὐτήν, καὶ ἐξέχεεν αὐτήν ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ ⁵⁾. Inprimis in αἰνέσει σοφίας Cap. XXIV, πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με, καὶ ἕως αἰῶνος οὐ μὴ ἐκλίπω; ἐν κύμασι θαλάσσης καὶ ἐν πάσῃ τῇ γῆ, καὶ ἐν

1) Hagenbach, *Dogm. Gesch.* p. 85 seqq.

2) Job. XXVIII : 23—27.

3) Prov. VIII : 22—31.

4) Cf. Schumann, *Christus of de leer des O. en N. V.* p. 87 seqq.

5) Siracides, I : 4, 9.

πάντι λαῶ καὶ εἶναι ἑκτησάμην ¹⁾). In libro Baruch ²⁾. ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συναναστράφη ³⁾. In *Sapientia Salomonis* ⁴⁾ dicitur σοφία, τεχνίτις πάντων, ἀτμίς τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως, καὶ ἀπόρροια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης ἐλικρινῆς. ἀπάνυγμα φωτὸς αἰδίου, καὶ ἔσποτρον ἀκηλίδωτου τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας ⁵⁾. Διατείνει δὲ ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας εὐρώστως, καὶ διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς ⁶⁾, μύστις γάρ ἐστι τῆς τοῦ θεοῦ ἐπιστήμης, καὶ αἰρετῆς τῶν ἔργων αὐτοῦ ⁷⁾. Capite nono, quo preces continentur, quibus Salomo Sapientiam a Deo petit, legimus : δὲς μοι τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν, et deinde, ἡ μετὰ σοῦ σοφία ἡ εἰδυῖα τὰ ἔργα σου, καὶ παροῦσα ὅτε ἐποίεις τὸν κόσμον ⁸⁾.

Haec *Sapientia*, mundi exemplar perfectum, quo omnia, antequam creantur, apud Deum adsunt, a Philone *verbum* vel λόγος dicitur. Philosophus ille Platonicus hanc Judaeorum doctrinam cum τῷ κόσμῳ νόητῳ Platonis conjunxit. Λόγος ille est λόγος τοῦ ὄντος, primus omnium, εἰκὼν, σκία, παραδειγμα, δόξα, σοφία τοῦ θεοῦ· ὁ κατ' εἰκόνα ἄνθρωπος etiam in ea adest. Λόγος contentum et sedes est τοῦ κόσμου νοήτου, ιδέα τῶν ιδεῶν. Sicut artifex exemplar fingit operis, quod constructurus est, sic Deus mundi notionem sibi formavit. In hoc exemplari autem omnia idealiter

1) XXIV : 9, 6.

2) Schumann, p. 93 seqq.

3) Baruch, III : 37.

4) Cf. Schumann, p. 96 seqq.

5) Cap. VII : 22, 25, 26.

6) VIII : 1.

7) Ibid. 4.

8) IX : 4, 9 et universe a Cap. VII : 14—IX : 17.

adsunt, quae in realitate sensibus percipienda offeruntur. Υἱὸς Θεοῦ audit, unicus Filius (μονογενής), πρεσβύτατος, πρωτόγονος, πρωτοτόκος υἱὸς, per quem mundum creavit. Duplex tandem apud Philonem est, ἐνδιαθετὸς et προφορικὸς. Apud homines adspexerat ἐτὶ λόγον ἐνδιαθετὸν ἐτὶ προφορικόν, ingenium et sermonem prolatum, hunc quasi fontem, illum quasi ortum ab eo fluvium; ad Deum hoc sensu eminentissimo retulit ¹⁾.

Religione tandem Christiana hoc τοῦ λόγου placitum, practico-religiosum momentum accepit, postquam Johannes ab omni emanatione procul, perfectam Dei revelationem in Christo τοῦ λόγου nomine indicavit. Apud Johannem non amplius est idea vana, abstracta, sed involvit realitatem historicam, veritatem religiosam. Vita est, fons omnis vitae in mundo physico et morali; vita divina quae universum penetrat, in omnibus se manifestat; lux hominum cujus radii delectantur omnes et illustrantur. Magnificentius, sublimius, quam antea omni sua gloria temporis plenitudine prodiit in Jesu Christo, in eo ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Joh. I : 14.

Patres ecclesiastici plures insequenti tempore suo in systemate a τοῦ λόγου placito abierunt, et in controversiis cum Haereticis, imaginum et analogiarum ope, quas a rerum natura visibili mutuati erant, τοῦ λόγου existentiam, ejusque ad Patrem relationem illustrare et explicare sunt conati.

In his Justinus Martyr, Tatianus, Theophilus ²⁾,

1) Dähne, *Jud. Alex. Religionsphil.* I : 202 ff. Baur, *Lehre der Dreiein.* I § 59. Lücke, *Comm. in Ev. Joh.* 279 ff. Hagenbach, *Dogm. Gesch.* p. 86.

2) Theoph. ad autol. II : 10. ἔχων ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον

Athenagoras, Tertullianus ¹⁾, praesertim vero Patres Alexandrini Clemens ²⁾, inprimis Origenes et Sacc. IV Athanasius strenuus Deitatis τοῦ λόγου defensor. Usu autem permixto Jesu Christi et τοῦ λόγου, Filii que nomine utrique assignato, saepe hujus praedicata ad illum sunt relata, discrimine Jesum Christum inter historicum et τὸν λόγον praeëxistentem neglecto. Priores praeterea Patres omnes emanationem et subordinationem quandam indicare videntur, ubi Dei revelationem per τὸν λόγον explicare student. Origenes tandem hunc evitare scopulum cupiens, aeternam τοῦ λόγου sive Filii generationem a Patre docuit, negata omni emanatione physica. Ostendere sibi proposuit Deum semper se revelasse in objecto sibi adaequato, τῷ λόγῳ. Idem placitum ab Athanasio in Synodo Nicaena acriter defensum est, cum in symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, de τῷ λόγῳ, insertum est: φῶς ἐκ φωτός, θεὸν ἐκ θεοῦ, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ ³⁾).

ἐνδιάθετον ἐν τοῖς σπλάγχθοις ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἐξαιρεξάμενος πρὸ τῶν ὄλων. c. 22. Πρὸ γὰρ τι γενέσθαι, τοῦτον εἶχε σύμβουλον, ἑαυτοῦ ναῦν καὶ φρόνησιν ὄντα ὅποτε δὲ ὁ θεὸς ἠθέλησεν παιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικῶν, πρωτοτόκον πάσης κτίσεως οὐ κενωθείς αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γέννησας, καὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ διαπαντὸς ὁμιλῶν.

1) Tert. adv. Prax. c. 5 : „Ante omnia Deus erat solus. Ceterum ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet;” c. 8. „Protulit enim Deus sermonem, sicut radix fruticem et fons fluvium et sol radium.”

2) Clem. Paed. III : 12. πάντα ὁ λόγος καὶ ποιεῖ καὶ διδάσκει καὶ παιδαγωγεῖ. Per logon Deus mundum creavit, imo logos ipse ὁ τοῦ κόσμου καὶ ἀνθρώπου δημιουργός ἐστιν.

3) De utroque et Origene et Athanasio cf. infra. Capitis V. Pars. posterior.

Si tandem quaerimus, num recte adeo haec aeterna generatio ex nonnullis scripturae s. locis hauriatur, qui vulgo ad fulciendum hoc dogma imprimis a veteribus Theologis adhibentur, negando respondendum esse mihi videtur. Objectum enim metaphysices, philosophiae de Deo est, cujus attributa in Jesum Christum historicum, in *λόγον* in carne manifestatum quadrare nequeunt. Quid? assentior V. D. Muntinghio ¹⁾, „illam generationis aeternae Filii Dei doctrinam (forma quidem qua eo tempore prodiit) ad *εὐρήματα* ista Theologica pertinere, quorum ne minimum quidem exstat in Codice Sacro vestigium, quippe cujus fundamentum collocabatur in perversa expositione *Ps. II : 7*, in quo vero eam non inesse, hodie quidem nemo paullo doctior diffitebitur.” Nec *Psalmus II : 7* et *Micha V : 1.* nec *Col. I : 15* ad illam sustinendam afferri possunt.

Ps. II : 7. בְּנֵי אֲתָהּ אֲנִי הַיּוֹם יִלְדֶתֶיךָ. Ad regem Israelis haec verba erunt referenda. Quivis enim rex theocraticus Dei filius audit cf. *Ps. LXXXIX : 27*, *2 Sam. VII : 14*, interdum etiam *primogenitus* *Ps. LXXXIX : 28*; ideo quod regiam potestatem a Jehova, summo Israelitarum Rege, ex imperii forma theocratica accipiebat, Cujus vicarius itaque et prorex erat. *Tu es filius meus, hodie te filium meum declaravi, quia regem te unxi.* (cf. Rosenmullerus, de Wette, Meyer in actis Ap. c. XIII : 33).

Micha V : 1. וּמוֹצְאָתִי מִקְדָּם מִיְמֵי עוֹלָם. Ille cujus natales Sect. I indicantur, originem trahet a domo regia Davidica, illustri antiquitus. Propheta se expectare profitetur regem sublimem, potentem ex stirpe Davidica, cujus

¹ *Theologia Christ.* Pars. II. Cap. II. Sect. II. p. 179.

altam celebrare vult antiquitatem. Egressus ejus a diebus aeternitatis esse dicuntur, quia ejus genealogia tam alte ostendi potuit, ut apparet ex Ruth. III : 17. (Cff. Rosenmullerus, Hitzig, Schumann. Christus cet. p. 58).

Col. I : 15. εἰκὼν θεοῦ ἀοράτου. In Christi enim persona, apparitione et operibus Deus invisibilis, se hominibus visibilem manifestavit. De historico Paulus agit Christo, ut apparet ex Sect. 14, ubi sermo est de peccatorum remissione, quam habemus in eo, qui (Sect. 15) *imago est Dei invisibilis*. Nam in Jesu Christo modo apparuit perfectissimo, quam Deus esset sapiens, potens, bonus. (Cff. Calvinus, Grotius, Flatt, de Wette, Schumann, p. 273).

His monitis ad ipsam litem Rœellianam procedendum est, quam exponere et quodammodo dijudicare hoc in specimine mihi proposui.

CAPUT I.

BREVIS VITAE RÖELLI ADUMBRATIO.



Priusquam ad ipsam litem de generatione Filii a Patre procedam, paucis vitam Röellii narrare juvat, nec non alias ab eo agitatas lites commemorare.

Natus anno 1653 in praedio paterno Dölbergh, comitatus Marcani, haud procul Unna, qua urbe anno 1673 a Gallis incensa, ac desiderato ita albo baptizatorum, parentibus quoque tenera ipsius et fratrum aetate defunctis, de mense et die ejus natali non constat. Pater ipsi fuit Joannes Röell, Alsatus e vicinia *Argentorati*, qui bello tricennali militans, alae equitum praefectus d. XXVI Maji anni 1657 decessit. Mater, Elisabetha Bruggemans, mortua jam anno praecedente. Ex his parentibus nostro tres fuerunt fratres, duae sorores.

Noster, quem jam a pueris litterarum amor non mediocri ceperat, scholis primum inferioribus rite institutus, anno 1669 et 70 Hamonae literarum humaniorum, linguae

hebraeae et philosophiae in studiis magno cum fructu doctores habuit Adrianum Pauli, theologiae et linguae hebraeae, Abrahamum Gulichium, philosophiae et eloquentiae, nec non theologiae extra ordinem professores. Hic publice defendit disputationem *de studio Mathematico Philosophiae praemittendo*, praeside Gulichio. Inde anno 1670 contulit se ad egregium theologum Ultrajectinum, Franciscum Burmannum; atque hinc Groningam, ad non minus eximium Jacobum Altingium, ubi progressus quos in Orientalibus linguis jam fecerat, ulterius persecutus est. Cui Altingio quam gratus fuerit, docent epistolae ad eum exaratae deinceps ¹⁾. Sed imminente urbis obsidione, hortante, imo urgente Altingio, invitus admodum anno 1672 Belgio valedicens, facto itinere per magnam partem Germaniae, cum alibi, tum *Bremae* et *Marpurgi* aliquamdiu substitit. Praecipue vero Helvetios adiens, *Tiguri* prope sesquiannum adhaesit Joanni Henrico Heideggero, quem privatim sibi soli Cocceji librum *de foedere ac testamento Dei* explicantem audivit, nec non scholis publicis Myllerum et singularis eruditionis ecclesiasten Jo. Henricum Suicerum.

Biennio in *Helvetia* exacto, misso per adversam valetudinem itinere, quod agitabat, Gallico et Britannico, ad suos redux, Hamonense rursus lyceum adiit, praeter Gulichium, Mommae sedulus auditor, quo praeside disputationem *de vera satisfactione praestita per J. Chr.* mense Februario anni 1675 defendit, et concionibus sacris habendis exercere se coepit.

Colophonem vero tandem studiis academicis impositurus Ultrajectum ad Burmannum suum rediit anno 1676. Quo

1) Operum Alt. Tom. V ep. 73, 82, 101, 103, 104.

et sequentis anni initio illic consumtis, Lugdunum Bata-
vorum denique sibi salutandum quoque duxit, ubi aliquot
mensibus, cum florentes id temporis theologos Spanhemium,
Wittichium, Le Moyne et Hulsium audivit, tum
senem Abrahamum Heidanum, cui solus tunc relictus
suggestus ecclesiasticus, publice dicentem admiratus est.
Præcipuorum itaque, quos tulit illa aetas, theologorum
præceptis ad sacram scientiam egregie institutus, in patriam
rediit. Nec diu post ad Evangelii ministerium invitatus
est apud Colonienses. Sed vetuit morbus pertinax, quocum
per annum cum semestri fere conflictandum habuit, iis
obsequi.

Quo vero feliciter tandem liberatus, Dethmoldiae dum
respirans sibi studiisque suis vivit, optatissimum offertur
munus ecclesiasticum apud egregiam principem Palatinam,
Elisabetham, Frederici infelicis Bohemiae regis filiam, Ab-
batissam Hervordiensem. Quo munere inde ab anno 1679
strenue functus est, ad mortem Elisabethae usque, quae
anno sequenti contigit.

Quo tempore Hervordiae exacto, vix ullum vitae suae
actum jucundius sibi fuisse testari solebat; per favorem
singularem Principis et accursum assiduum ad aulam ejus
virorum, natalium splendore, dignitate, doctrina et pietate
illustrium.

Abiens autem ita Hervordia, sui jam denuo juris factus,
quum privatim aliquamdiu vivendum sibi esset, Bremam
se contulit; ubi, praeter alios cum piissimo Untereichio
consuetudinem junxit, et conciliatam dudum alibi cum
Cornelio Hazaeo familiaritatem contubernio semestri
continuavit et firmavit.

Offertur vero ei ipso illo anno 1680 similis rursus sta-
tio, et quidem eodem fere tempore duplex. Altera a Ser.

Principe Tarentinense; altera ab Albertina Principe Arausionense, Wilhelmi Frederici gubernatoris Frisiae vidua, cui manus dedit, vixitque in aula ejus, modo Leovardiae, aut Silvae Arausionum in Frisia, aut in Nassovia, praeconis sacri obiens partes, ad mensem usque Julium anni 1682. Quo evocatus jam mense Aprili ad ecclesiam Daventriensem transiit. Cui non tantum ipsi inserviit, sed et magistratum auctoritate studiosae juventuti aureum Cocceji librum *de foedere et testamento Dei* explicuit.

Exacto hic triennio, contigit orbari mense Januario 1685 Academiam Frisiacam altero philosopho suo, post Gravium sesquianno ante defunctum, Tobia Andraeae. Quorum in locum quum alii duo desiderarentur, Petro Bailio philosopho Roterodamensi frustra invitato, Röellius, agente et hortante praecipue serenissimo Principe Henrico Casimiro, et pristino generi philosophiae magis addictus Joannes Regius, idonei maxime visi sunt, qui laboranti in hisce studiis academiae succurrerent. Sed tergiversante Röellio, quia a se impetrare non poterat, ut sacra castra Theologiae, quae per aliquot jam annos religionis et sacramenti cujusdam lege secutus erat, temere desereret ¹⁾; brevi post Theologica etiam professio, extra ordinem tamen, ei demandata est, quae vero, antequam inauguraretur, in ordinariam, illustrium procerum decreto, commutata fuit.

Facta est inauguratio una cum Hautecourio et Regio, nec non Corn. Eckio, eodem hoc fere tempore Juris Professore creato d. XVII Junii 1686. A Röellio habita est oratio illa inclyta de *Religione rationali*, quae deinde dissertationis forma annuis institutionibus Theologiae na-

1) Cf. Oratio inauguralis de rel. rat. § 182.

turalis solebat pro norma et cynosura esse, et sexties typis mandata est. Ornavit collegam Professorum ordo, ejusdem anni d. VIII Octobris, honore gemino Doctoris Theol. et Philos. Atque ipse exornavit utrumque munus sibi commissum egregie; cum docenda scientia oraculorum scripturae sacrae, tum maxime novo fere instituto, quotannis nempe tradenda universa Theologia naturali, qua magnam sibi laudis famam peperit, frequentissima semper usus auditorum undequaque ad Academiam illam tunc magno numero affluentium corona. Sed non diu licuit ei hac frui fortuna, propter motas de his, quae docebat, controversias.

Primo quidem de usu rationis in rebus Theologicis, quem Röchlius sagax Theologus et prudens scholae Cartesianae philosophus inducere in animo habuit, et de quo, justo liberius egisse visus in ipsa oratione inaugurali, imo jam Daventriae notatus fuit, aucta V illius argumenti thesium publica defensione; invasio in eum facta est per latus discipuli et cognati sui Dukeri, ejusdem, cujus theses erant illae Daventrienses, ab amplissimo Ulrico Huberio, in ipso actu disputationis Dukeri inauguralis philosophicae, de recta ratiocinatione VIII Oct. 1686. Multae hinc in Academia turbae. Defendit autem Dukerum, uti Wajenus, qui tamen ipse admissam hic ab illo quandam imprudentiam juvenilem non dissimulavit; sic maxime cognatum suum Röchlius. Sed et ipse necesse habuit tueri semet ipsum adversus editas ab Hubero positiones XII, de Wajeni et Röchlii a vero hoc in negotio abire visis hypothesibus. Facere hoc instituit edito *Examine brevi Positionum illarum XII*, et *Vindiciis illius examinis*, oppositis stricturis ad illud Huberianis. Utroque scripto a° 1687 luci dato, acerbissimo et animum prodente exul-

ceratum, quem et non minus ostendunt nimium effreni impotentia Dukeri *Dissertationes duae apologeticae*, aliaque hac occasione edita. Secuta haec mox eodem anno Huberi *Praescriptione* contra *Vindicias*, conquieuit quidem his, publica intercedente Procerum auctoritate, in Academia. Conquieuit quoque eadem auctoritate apud coetus ecclesiasticos; moto jam a classe Leovardiensi de hisce gravamine, ut dicitur, apud Synodum Frisiacam. Sed non aequè sopire potuit apud socias civitates, in quibus Ultrajectina, excitata scriptis jam editis Witsii ¹⁾, Leidekkeri ²⁾ et Vriesii ³⁾, ansam dedit edito adhuc Gisberti Cocquii *Examini XII Assertionum de rationis usu in religione Christiana*, a tribus Theologis Academiae ipsorum approbato. Ultr. 1687. Mansit similiter in Hollandia, et apud synodos Belgii reliquas, controversiae memoria. Praesertim quando ex hoc erroris principio ac fonte maxime fuit credita promanasse, ab ecclesiae secundum S. Scripturam doctrina abiens, prodita non ita diu post viri clarissimi sententia altera, plurimarum apud nostrates turbarum ansa. Erat haec de *aeterna generatione Filii Dei a Patre* ⁴⁾. Cui juncta altera *de morte fidelium temporali*, num pro residuo iis poenae peccati habenda ab a^o. 1689 scriptis amoebocis inter Röllium et Vitringam gesta. Röllius affirmabat, dicens: Nihil, si scripturae et experientiae credimus, certius quam afflictiones et mortem temporalem esse peccati poenas, quae justitiae divinae satisfacit ⁵⁾.

1) *Dissertatio epistolica ad Cl. Ulr. Huberum*, 1687.

2) *Diss. Theol. de motis nuper in Frisia controversiis super auctoritate S. Scr. ad virum ampl. Huberum*. Gocsae edita.

3) *Diatribae de ideis rerum innatis*.

4) Vid. infra cap. II.

5) *Diss. prioris de Morte Fid. temp.* p. 6.

Cui Vitringa metuens ne ita Christi satisfactionis valor imminueretur, has tres theses opposuit: 1^{am} Christum dominum satisfacisse justitiae Divinae pro omnibus electorum peccatis. 2^{am}. Ac proinde eos liberare ab omni peccati poena. 3^{am}. Et per consequens etiam a morte temporali, quatenus illa censetur esse poena peccati.

Ilis Böellius exerceri coeptus est incommodis; cetera multa cum laude et applausu auditorum docuit ad annum 1704. Quo, allecti ejus fama Ultrajectini, desiderato nuper frustra magno Vitringa, luculentis et maxime honorificis conditionibus ad Cathedram Theologicam Academiae suae cum evocarunt d. XI Junii. Quam, dimissus a Proceribus Franequeranis d. XX ejusdem mensis, publice obiit d. XXII Septembris, oratione de *Theologia et Theologiae supranaturalis prae naturali praestantia*. Ornavitque hanc cathedram sedulo, eademque qua Franequerae nominis sui existimatione.

Sed loco tranquillitatis, qua, postquam deforbuerat, qua agitatus erat, tempestas, uti in Frisia potuisset, multum hic assidue conflictandum habuit cum molestia, quam non poterant non creare assidui de hypothsibus suis motus in terris vicinis, ipsaque multorum quibuscum vivendum erat Ultrajecti invidia. Tutum ipsum a publicis duntaxat disceptantium insultibus, praestitit illic Procerum decretum, Frisiaco simile. Dicere etiam hic non raro solebat pro concione, officium hoc praeconibus sacris, ubi requirebatur lubenter exhibens. Quorum et in Presbyterium aliquando allectus fuit, non minus quam Franequerae, ubi et ecclesiae Valonicae et Belgicae, atque huic quidem bis, hoc titulo adsedit; bis quoque ejus nomine ad synodum Frisiacam delegatus. Rectoris Academiae Franequerae munere a^o. 1700. Ultrajectinae a^o. 1706 functus est. Attigerat annum aetatis

suae sexagesimum quartum, quum, alacriter ad finem perducto laborum academicorum circulo annuo, incunte mense Julio a^o. 1718, eodem die, quo tristem de obitu aestumatissimi affinis sui Henrici Hoppii, societatis Indicae apud Amstelodamenses Directoris, acceperat nuntium : letalis ipsum, vigente hactenus et vegeta usum senectute, invasit morbus. Qui, quum multum remisisset, ac profligatus jam propomodum videretur, triduo post Amstelodamum se conferre non dubitavit. Ubi vero mox recrudescentis malum adeo brevi aggravatum est, ut die dicti mensis 12^{mo} succumbens, placida morte animam Deo suo redderet.

Quod ad vitam privatam et domesticam attinet, in matrimonio habuit ab eo tempore, quo Franequerae sedem fixit, Corneliam Bailli. Haec eum numerosa prole beavit. Erant enim liberi novem; quorum tres aetate prima decesserunt; sex patri superfuerunt; in quibus Joannes Alexander, Juris civilis Professor, Dionysius Andreas, Theologiae et Philosophiae doctor, apud Daventrienses Professor, et Wilhelmus, Anatomes Professor.

Hujus magni viri, prudentis philosophi, sagacis theologi memoriam multi litibus servarunt agitandis, multi pio coluerunt animo.

Est etiam hujus loci commemorare judicia virorum doctorum de Rœellio, quae, salvo dissensu in hypothsibus ipsi privis, fuerunt honorifica. Inprimis laus ei tribuitur ab Altingio magistro in Academia Groningana, qui in epistolis ei missis maximi eum facit ¹⁾.

Ita et à Marck ²⁾ : «In variis» inquit, «academiis cum laude versatus, et ad Evangelii ministerium in aula

1) Operum V c. p. 391. b. p. 396, 406, 409.

2) Jud. eccl. Cap. I, § 1.

primum gemina Principali, dein in splendidissima ecclesia Daventriensi, admotus, famam sibi haud vulgarem ingenii, doctrinae, facundiae et modestiae acquisiverat, quod effecit ut magno in ipsum affectu viri celebres ferrentur, et ad praeclaram in illustri academia stationem vocaretur."

Spanhemius ¹⁾ eum laudat ut celebrem in Belgio Theologum.

Salomo van Till ²⁾ : „Est amicus noster" inquit, „philosophus subtilissimus, multaque habet cognitu utilia" (in diss. nimirum de rel. rat. de qua hic sermo); „licet, salva amicitia, etiam intercedant, quibus calculum nostrum non adjicimus."

Ludewig ³⁾, quamvis errorem de generatione Filii ex dogmate Cartesii de clara et distincta perceptione, norma veri, fluxisse contendat, cum dicit virum ingenio acutum, judicio acrem, in dicendo promptum, suavem ac facilem.

Buddeus ⁴⁾ eum vocat virum doctrina et ingenio praestantissimum, nec non,

Moshemius ⁵⁾, qui eum Cartesianorum Theologorum in Belgio caput habet, virum inprimis acutum et perspicacem.

Ypey ⁶⁾ haec de eo scribit : „Servus et assecla praeceptorum non fuit, ipse libere inquisivit. Liber fuit in cogitando, generosus in proferendo, ut ipse dixit in diss. de rel. rat. Non acquiescere in aliorum scitis et placitis, sed causas rerum indagare, hoc demum generosi pectoris,

1) *Elengh. controvers.* Tom. II, p. 1009.

2) *Bibl. Theol. sel.* p. 107.

3) *De phil. caute leg.* Cap. I, § 8.

4) *Theol. dogm.* lib. II, C. I, p. 305.

5) *Instit. hist. Christ. rec.* p. 669.

6) *Theol. Syst.* Tom. II, p. 216.

hoc hominis est. Studiosorum albis hoc inscribere distichon solebat :

Non ego sum veterum, non assecla, amice! novorum.
Seu vetus est, verum diligo, sive novum.

Cui hoc addidit symbolum, ad nomen suum alludens :

ל אֵל.

CAPUT II.

HISTORIA LITIS DE GENERATIONE AETERNA FILII A PATRE.

§ 1.

Historia in academia Franequerana et edita scripta.

Postquam Röcllius professor in academia Franequerana erat creatus, mox viri promulgabatur animus in opiniones singulares nimis pronus, patens imprimis ex Oratione de Religione rationali, qua de re motus publicos eosque graves ortos fuisse, paucis supra notavimus ¹⁾. Cum vero ex discipulis discretet collega ejus Campegius Vitringa, doceri in illius scholis, quae cum doctrina ecclesiarum non facile componenda sibi videbantur, illius opinionibus contradicendum esse putavit. Itaque Röellii nomine dissimulato, disputationi cuidam habendae subiecit has theses, a quibus ut aiebat in ecclesia reformata sine scandalo

1) Cf. pag. 13 seqq.

recedere non licet: I. Filium, secundam personam s. s. Trinitatis ab aeterno a Patre esse genitum. II. Hanc esse primam et praecipuam rationem, quod secunda illa Persona s. s. Trinitatis dicatur Filius. Quas ad se spectare observans Röllius, post biduum edidit: *Theses Theologicas de generatione Filii, indubitatae apud reformatos veritatis*, defendendas a. d. IX Mart. 1689, quibus sententiam suam declarabat.

Cum vero contra has a Röllio defendendas theses se in academico Senatu opponeret Vitringa, concessum quidem primo fuit, ut defensio illa procederet, sed non nisi parte suffragiorum majore, et postquam ipse manu subscripsisset, se per generationem praeter coëxistentiam intelligere modum aliquem ineffabilem, qui dicatur *Filiatio*, qua Filius est a Patre et ex Patre; sano tamen sensu, ne verba *a* et *ex* indicent causam efficientem et causatam aut materiam, sed ut *θεογενετώς* intelligantur; quin et adjecisset de Hautecour prof. Theol., se non impedire quo minus theses ventilentur, in eum scilicet finem ut possit omne scandalum removeri ex non satis intellecto scriptoris sensu, et sic locus dari explicationi dubiorum, quibus merito urgentur theses, ea lege atque conditione, ut Röllius in serie disputationis palam apud omnes profiteatur id quod peculiari suo scripto in academia sua firmavit die IX Mart. 1689.

Eodem anno Vitringa eum oppugnavit *Disputatione Theologica, qua theses de gen. Filii a Patre examinantur*. Röllius indignabundus Vitringae reposuit *Dissertationem Theologicam de gen. Filii, qua suas de ea theses plenius explicat et contra clarissimi viri Campegii Vitringa objectiones defendit* 1689. Eiusdem anni spatio rursus prodiit Campegii Vitringae: *Epilogus disputationis non ita pridem a se habitae de gen. Filii, in quo fidem ecclē-*

siae de hoc articulo porro adstruit ex verbo Dei, eandemque tuetur contra dissertationem illi novissime oppositam. Anno insequenti Röllius alteram in lucem edidit dissertationem Theologicam de gen. Filii, oppositam epilogo Campegi Vitringa.

Cum vero per has dissertationes lis in dies cresceret et latius disseminaretur, visum fuit Wajeno, simul cum Hautccourio, consilium hoc proponere Senatui academico XII Dec. 1690 : „Ante omnia a cl. Röllio petendum esse, „ut signata manu declaret, se amplecti et tanquam ortho- „doxos i. e. ex verbo Dei in ecclesia receptos, profiteri „articulos sequentes :” I Deum essentia unum esse atque unicum. II Deum esse trinum personis. III Illas personas ab omni aeternitate esse a se invicem distinctas, ut una persona non sit altera. IV Hanc distinctionem esse peculiarium relationum illarum trium personarum ad se invicem, ut et denominationum, quibus ad nos erudiendos in sacra scriptura insigniuntur : easque relationes in divinis antecedenter esse ad omnem oeconomiam. V Eam personam, quae Pater est, non potuisse esse eam, quam Filium nuncupat Scriptura. „Quo pacto ille quidem pro „orthodoxo hac in parte haberi posset ac deberet; attamen „et praeterea rogandus videbatur, ut quod de generatione „Filii singulare docuit silentio premat, neque deinceps „denuo doceat, multo minus discipulis inculcet, sive ore „sive calamo, directe aut indirecte, quod si promiserit, „pacis in eo studium laudandum esse : sin minus, censere „se, a senatu ipsi injungendum esse silentium, addita in- „terminatione, ceteroquin totum negotium, uti lex jubet, „delatum iri ad illustres ordinum deputatos, addita sup- „plicatione, ut ipsi pro suprema sua auctoritate dictum „Röllio silentium velint imperare. Interim se, ambos

„ejusdem facultatis professores, declarare, nunquam se de-
 „situros eandem docere atque inculcare veritatem, quippe
 „bene persuasos, omnes illos loquendi modos in sacra
 „scriptura de ea re usurpatos id significare, quod Filius,
 „licet sit ejusdem, cujus Pater, et essentiae et aeternitatis,
 „certa tamen ratione, quae sibi ineffabilis est, sit a Patre,
 „modusque ille generatio dicatur.”

Placuit hoc quidem academico Senatui, Röellio vero
 et Vitringae displicuit; dato tamen his adhuc deliberandi
 spatio aliquo et novo rursum die XIV Jan. 1691, post
 quod elapsum XV Jan. res eo perducta fuit, ut Röellius
 rogatus quid tandem apud se constituisset, declaraverit,
 se omnibus rite perpensis, consilio Senatus et facultatis
 Theologicae obsecuturum, tantumque libenter daturum paci
 ecclesiae et commodis academiae, ut et propositis a facultate
 articulis, quod ex animi sententia facere posset, subscri-
 beret, et commendatum a Senatu silentium amplecteretur,
 adeoque in se susciperet atque promitteret, se quod de gene-
 ratione Filii Dei peculiariter sentiret, neque publice, neque
 privatim amplius traditurum, neque etiam editos hac de re
 libellos clam palamve recudendos curaturum etc. Qua in re
 non modo Wajenus et Hautecourius, sed et cum his
 reliquis Senatus acquievit, dissentientibus tamen Vitringa
 et Regio. Subscripsit Röellius *Articulis a viris DD. van
 der Waayen et de Hautecour propositis* haec: *nut promisi
 subscribo et silentium recipio, sperans fore ut posthac tran-
 quille mihi liceat demandato mihi munere fungi, et in his
 aequiescant, quibus pax non minus quam veritas cordi est.”*

Aliquot diebus post, ex decreto Senatus etiam Ordinum
 Frisiae deputatis libellus supplex a Rectore Magnifico Rhen-
 ferdio et Hautecourio est oblatus, quo decreti confirmatio
 rogabatur, cum spe fore ut etiam classes, inprimis Frisicae

in eo aequiescerent. Ordines illi approbarunt XXVIII Apr. 1691, mandantes simul Rœellio serio satis : „ne, „quamdiu in academia sua maneret, sententiam suam de „gen. aet. Filii Dei ore aut scripto porro doceret, aut „spargeret inter discipulos vel auditores, sive in collegiis „privatis, sive in publicis lectionibus aut concionibus, se- „cundum a se facta promissa et subscriptionem praedicto- „rum articulorum.” Ab altera parte noluerunt rem hanc ab aliis sive personis, sive coetibus ecclesiasticis in sua provincia tractari, ad pacem promovendam et schismata avertenda. Inprimis postquam Rœellius aº. 1691 edidit sermone vernaculo : *Brevis et simplex narratio controversiae de generatione Filii* : et Vitringa ei opposuit : *Brevis expositio fidei ecclesiae communis de generatione Filii*.

Decretum vero ordinum non ubique vim habuit. Rinzius Meilisma ¹⁾ enim, antistes Boxumanus parum observans illud, hac de lite scriptum obtulit classi Leovardiensi, quae illud approbavit, typisque mandavit. Ordines hoc agendi modo irati accessiverunt utrumque scripti iudicem Gellium et Reddingium, eosque acriter sunt adhortati. Meilsmæ scriptum fuit oppressum.

Mortuo Rœellio, rogante Synodo Omlandica, Antonius Driessen Professor Theol. in academia Groningana aº. 1720, dedit : *Specimen de sententia ecclesiae recepta, et illa viri professoris Rœellii, de generatione aeterna Filii a Patre* ²⁾.

Petente, aº. 1723, Synodo Hollandiae Australis a Professoribus Lugduncensibus, ut publico scripto sententiam suam de pondere et detrimento opinionum damnatarum Prof. Rœellii declararent, atque sic ecclesia Belgica tota

1) Cf. infra.

2) Cf. infra.

videret, opiniones has nequaquam tam exigui esse momenti, nec ut tolerabiles posse spectari, tandem editum est *Judicium ecclesiasticum, quo opiniones quaedam cl. H. A. Röellii synodice damnatae sunt, laudatum a Professoribus Lugduno-Batavis*, id temporis Joh. à Marek, Franc. Fabricio, Joh. Wesselio, Taco Hajo ab Honertio. Quod quinque absolvitur capitibus. *Primum* tractationis hujus totius occasionem historice docet. *Alterum* de rationis magisterio in religione agit. *Tertium* de Filio Dei ejusque generatione exponit. *Quartum* de fidelium morte et malis temporalibus disserit. *Quinto* denique de aliis opinionibus quibusdam peculiaribus quaedam adjunguntur ¹⁾.

§ 2.

Synodorum damnationes.

Omnes illas recitare quum nullius esse momenti mihi videatur, praecipuas tantum commemorabo, incipiens a Synodo Trajectina a. 1689, quae art. XXI et XXII coepta est serio contra Röellium agere. In Synodo Schiedamensi a^o. 1691, ad gravamen classis Schielandicae art. XXIV, constituti sunt, ex correspondentibus Gerbrandus van Leeuwen ²⁾, ex synodi deputatis, Cornelius Bosch ³⁾, atque ex classibus Jac. Triglandius ⁴⁾, cum Joh. Texelio ⁵⁾, qui in Röellii causam omnem diligenter inquirent, et de ea ad ipsam synodum referrent. Excerpta

1) *Biblioth. Bren.* 1723, p. 146.

2) Pastor Amstelodamensis.

3) Pastor Haganus.

4) Professor Lugduno-Batavus.

5) Pastor Roterodamensis.

dederunt ex ipsius editis dissertationibus, spectantia : 1. ad abusum rationis in mysterio revelato; 2. ad generationem Filii aeternam atque naturalem a Patre; 3. ad impugnationem fidei communis in isto capite : suum hoc addentes iudicium :
 „Positiones istas ex perniciosissimis principiis profluentes,
 „quae totum mysterium pretiosissimae fidei subvertant, ju-
 „dicamus in sequelis suis perniciosissimas, et plane adversas
 „Sancto Dei verbo et doctrinae reformatae, prout haec spe-
 „ciatim comprehensa est Confessione Belgica et Catechismo
 „Heidelbergensi, ex animo optantes, praedictos libros nun-
 „quam in lucem esse omissos, nec exstare adeo. Quapropter
 „et valde laetamur de provida cura ordinum deputatorum
 „Frisiac, ad sententiis tam noxiis obsistendum. In quorum
 „iudicio quatenus res illic est domestica inter professores
 „duos, non solum lubenter acquiescimus, sed et iudicamus
 „quod cum justa imitatione zeli ipsorum pii oporteat hic
 „quoque curare, ne memorati „errores in ecclesiam intro-
 „ducantur. In quam rem existimamus decere, ut studiosi
 „omnes, ab academiis venientes, praesertim autem ex Viri-
 „nistius disciplina prodeuntes, in examinibus explorentur de
 „istis positionibus, nec admittantur ad conciones publicas,
 „nisi post declarationem, se omnes istas et singulas posi-
 „tiones toto corde rejicere, atque illis se velle opponere.”
 Quae ipsa synodus mox cum gratiarum actione approbavit.

Insequenti anno in Synodo Gorinchemensi art. IV, sen-
 tentiae Rœllianae, „cum detestatione fuerunt rejectae,
 „cum laudato ac celebrato, optimo, necessario et prudenti
 „decreto provisionali adversus perniciosas theses Synodi
 „Schiedamensis, quod fuit medium ad malum, gangraenae
 „instar serpens, in ortu suo cohibendum, et veritates
 „Catechesis et Confessionis Verbo Dei nixas contra omnes
 „infractiones tuendas.” Porro temporarium decretum in

perpetuum est mutatum; quo adco omnes jussi sunt qui praeparatorium vel peremptorium examen subirent, theses Røellii detestari, rejicere et viribus omnibus se iis exponere. Serio commendatum est mittendis correspondentibus, ut similem curam apud alias urgerent Synodos Belgicas; nec non Synodi deputatis ut ejus dissertationum rogarent suppressionem. Iterum a^o. 1693 in synodo Brielana art. IV conclusum est, serio esse vigilandum contra istos errores, et constituti sunt. Joh ab Arrel, Alb. Westerhof, Joh. Texelius, Cøsterus, Henr. Troje, Ubelman et ut deputati synodi Zevenhoven, Petr. Texelius et Jac. Flancius, qui articulos conciperent, ubique apud examina praelegendos per modum formulae communis. Qui mox a synodo approbati fuerunt sequentes :

I. An in rebus ad divina mysteria spectantibus non teneamur credere, nisi quorum ex proprio ingenio conceptum possimus formare?

II. An s. scriptura secundum hanc regulam exponi possit sine infinitis torsionibus verbi divini, atque eversione fidei nostrae sanctissimae?

III. An speciatim hoc aptare liceat ad caput de aeterna ac incomprehensibili generatione Filii Dei? *a.* An doctrina divinae generationis Filii Dei a Patre in s. scriptura incognita sit? *b.* An per aet. gen. Filii a Patre intelligi debeat coëxistentia Filii cum Patre ab aeterno? *c.* An gen. Filii a Patre constituenda sit in destinatione ad munus mediatorium et manifestatione in omni gloria sua?

IV. An stante sententia ecclesiae satisfieri non possit contradictionibus adversariorum veritatis?

V. An non promittas et testeris, te omnes dictas heterodoxas positiones et earum quamque singulatim corde tuo detestari et rejicere iisque velle obsistere?

Perinde a^o. 1694 in synodo Hagana art. IV, commendata fuit vigilantia contra Röllium, a^o. 1695 in synodo Woerdana, et continuata in Yselsteiniana et Bredana 1696 et 1697, sopita autem fuit in synodo Dordracena a^o. 1698: manente tamen semper zelo pio contra theses Röllianas his et sequentibus annis, ut apparet ex synodo Goudana 1701, ubi ejus dissertationes Philosophicae examinatae sunt ¹⁾. Ex quo examine statutum quod Röllius fidem suam non praestitisset, sed publico scripto repetisset damnatam de generatione Filii doctrinam. Unde decretum secutum est de augenda vigilantia.

Synodi Gelricae et Frisicae universe mitiores fuerunt, imprimis Ordinum decreto. In Zelandia autem acriter contra eum actum est; quod ex eo effici potest, quod Zelandici ab omni re heterodoxiam redolente aversarentur, et Wajenus, qui, dum fuit antistes Medioburgensis non bona usus fuit fama, ejus esset amicus. Praeterea omnia severi fuerunt Voetiani membra classis Walchricae. Haec a^o. 1693 cuivis novo membro quinque articulos subscribendos proposuit, quorum in secundo Röllii doctrina rejiciebatur. Concionibus vero 3ae Sept. et 1mae Decemb. 1701, examinis regulam classis illa statuit quaestiones cum responsis *Septem*, quae praelegendae erant candidatis post examen et pastoribus ante sessionem.

I. An ex animo credis Jesum Christum unigenitum Dei Filium esse, solum secundum naturam divinam? Resp. Affirmando.

II. An agnoscis hujus filiationis aliud fundamentum, quam aeternam et incomprehensibilem ejus a Patre generationem? Resp. Negando.

1) Diss. Phil. edidit Röllius de *Theol. Naturali* duas, de *Ideis innatis* unam. 1700.

III. An per hanc generationem intelligis nativitatem ex Patre, distinctam a nativitate ex Virgine Maria, quam illa praecedit tanquam aeterna, uti haec in nostra Confessione, Catechesi et formulis consensus proposita est? Resp. Affirmando.

IV. An ex animo rejicis expositionem generationis illius datam a Prof. Rœellio, secundum quam consistat in praecoordinatione ad munus mediatorium, in excitatione ejus in *θεάνθρωπον*, in suscitatione ejus ex mortuis et in introductione ejus in gloriam? Resp. Affirmando.

V. An promittis ergo, ore et re, tam publice quam privatim, opinionibus talibus te opponere, atque orthodoxiam propagare et tueri? Resp. Affirmando.

VI. An ergo plene tibi propositum est, aversari opiniones eorum, qui tam hoc mysterium, quam illud exitus Spiritus S. conantur impetere per rationis dictata, dicentes ea pugnare cum idea divinae unitatis, aeternitatis, simplicitatis et independentiae, atque sic enervare dicta scripturae s., nostrarumque formularum Unionis? Resp. Affirmando.

VII. Et si contingeret, ut in dubitationem aliquam atque angustiam de his incideres, an promittis ante ejus disseminationem hoc Classi significare, ab ipsa lucem expetere et consequenter secundum ipsius consilium et judicium in eo te gerere, ut publice cum doctrina ecclesiae reformatae ita te conformem praestes, vel in casu contumaciae justae te censurae submittere? Resp. Affirmando.

Cum Rœellius vocatus esset ad academiam Trajectinam a^o. 1704, in classium deliberationem missum fuit, annon post mutatam stationem major contra errores cura esset necessaria. Postquam autem constaret eum fidem Trajectensibus quoque proceribus dedisse, de opinionibus suis rejectis, nec publice, nec privatim propagandis, mansit

constitutio vetus. Denuo vero repetebantur querelae de non praestita fide in synodo Woerdana 1706, et Leerdamensi 1707. Per delegatos igitur in eas inquisitum est, nullis autem convincentibus argumentis repertis.

Cum in synodo Bredana 1708 relatum fuit, Röellium fidem praestitisse et porro esse praestiturum, in synodo Gorinchemensi a^o. 1714 tandem correspondentes Gelriae et Trajecti pctierunt ut nomen viri in posterum ex actis omitteretur, addentes, articulum tamen esse concipiendum quo diligens vigilia commendaretur contra theses ejus heterodoxas. In synodo autem Briclae a^o. 1715 habita deletio illa est negata, quamdiu ipse vir persisteret in opinionibus pravis. Quae negatio iterata est Woerdae 1717, et Burae 1718.

Neque Röellii mors finem imponere potuit vehementibus illis damnationibus et vigiliis, imo augere timorem videbatur; in synodo enim Bredana a. 1719 statuebatur ut novae fierent oppressiones, cum periculum nunc majus esset quam unquam; ita etiam in synodo Dordracena 1720. Repetita est in synodo Delphensi 1721 negatio Röellii nominis delendi, quin potius commendante majorem zelum, et mandante ut nec studiosi, nec S. S. Min. Candidati essent admittendi ab academiis Ultrajectina et Groningana, nisi in testimoniis scriptum esset declarationem secundum articulos conceptos ab ipsis esse factam. Nam si sententia viri cum ipso esset mortua, tuto nomen ejus potuisset deleri, nunc cum contrarium obtineret, minime.

Sic ecclesia Belgica per amplius triginta annos turbata et agitata fuit, litibus et condemnationibus, originem a viro ducentibus, ingenio claro, corde in veritatem prono. Cujus age! sententiam audiamus.

CAPUT III.

SENTENTIA RÖELLI.



Sententia Hermanni Alexandri Röellii de aeterna generatione Filii Dei a Patre haec est : *Vocibus Filii et generationis significatur in emphasi : quod Filius sit verus et aeternus Deus, perfectissimam habeat cum Patre naturae vere divinae communionem, illi ab aeterno coexistiterit, et in tempore suam et Patris gloriam ac divinitatem operibus maximis demonstraverit et ut Deus in carne manifestatus sit illustrissimo modo* ¹⁾.

Hanc sententiam exponentem et defendentem eum ipsum introducam, ita procedens, ut *primo*, de causis quae eum induxerint ut a recepta ecclesiae doctrina recederet, agam; *secundo* de significatione vocum Filii et Generationis; *tertio* de ejus sententiae cum sacrae scripturae doctrina consensu; *quarto*, de sententiae orthodoxia; *quinto*, de explanatione locorum vulgo hoc in dogmate adhibitorum.

1) Diss. primae § 59.

§ 1.

Causae, quare Rößellius a recepta ecclesiae doctrina recesserit.

Nihil magis, sic Rößellius, cum natura creaturae ratione praeditae ejusque officio convenit, quam examinare omnia, et nonnisi clare et distincte perceptis assentiri, ejusque ego semper indolis fui, ut eorum quae affirmarem aut negarem, rationem mihi constare voluerim. Hoc sedet semper fixum animo, nulli, nisi Deo, per rationem aut revelationem manifestanti, indubiam fidem adhibendam esse, sic ut ne unionis formulae et confessiones quidem ullam habeant obstringendi ad fidem auctoritatem, nisi quam illis conciliet accuratus cum ratione et revelatione consensus. Meam igitur de aeterna generatione sententiam non tantum formulis in ecclesia reformata receptis, sed rationi etiam et revelationi conformem esse oportet, quia altera alterius hic poscit opem. Quis enim cum ratione animum induceret credere, tres esse personas vere distinctas et divinas, nisi Deus hoc ita revelasset, ut de sensu et divinitate ejus verbi, certis post justum examen argumentis constare queat. Hoc autem in homine fit per rationem, cujus circa revelata maximus est usus. Quamquam enim multa revelata captum nostrum superent, indubitatis atque evidentissimis rationis dictatis contraria esse nequeunt. Nihil enim verum, nedum divinum esse potest, quod cum innatis et communibus notionibus, atque adeo rationis dictamine pugnet. Quomodo enim ob ejusdem Dei auctoritatem contraria, tanquam utraque vera credi simul possint? Potest revelari quod rationis captum superat. Attamen an et quid reve-

latum a Deo sit, rationis est dijudicare, atque adeo eo sensu, fides ipsius Trinitatis, aliorumque mysteriorum rationis iudicio niti, atque adeo rationalis esse debet. Revelationis et rationis mutua est opera. Illa viam salutis manifestat et signat : haec quaerit, explorat et a deviiis distinguit. Illa mandata et placita regis promulgat, haec sigillum regium et legum sensum humiliter lustrat et rimatur, comparata ad obsequium, modo de voluntate regis constet ¹⁾. Accurate igitur cavendum ne id Deum revelasse temere credamus, quod non revelavit. His ad causam nostram applicatis, revelatum est tres esse divinas personas vere distinctas et perfectissimo modo unam. Omnis autem distinctionis et unitatis ratio, neque revelata est, neque igitur clare et distincte percipi potest. In illis igitur subsistendum, donec Deus et reliqua revelet. Ecclesiae autem doctrinae hodie vulgo receptae ratio repugnat, quia aeternus esse Deus et genitus, quia a se esse et ab alio sibi contradicunt, neque in verbo divino haec doctrina est fundata.

Propterea ego ab ea recedendum esse mihi putavi, et dum alii jus sibi sumunt explicandorum trium personarum nomen, idem ego mihi vindicavi jus in exponendis vocibus Filii, Generationis, similium. Re diu multumque pensitata id dixi, quod maxime videbatur cum dignitate personae vere divinae et vera Deitatis idea convenire, sperans fore ut ita meliora ad profligandos istos arma praebeam, Socinianos et Arianos, iisque s. s. Trinitatis hostibus ansam praecidam cavillandi, qui Deum genitum, non esse Deum aeternum et independentem, neque adeo Deum verum et summum dicitent. Harum igitur vocum significatio ita erit enucleanda, ut rationi sit congrua, cum scriptura non pugnet, omni denique careat erroris periculo.

1) Cf. Diss. de rel. rat. § 166 seqq.

Significatio vocum Filii et Generationis.

Secunda s. s. Trinitatis persona in scriptura Filii nomine notatur. Ille enim, qui Filius vocatur, ac genitus et datus dicitur Ps. II : 7, 2 Sam. VII : 14, Prov. XXX : 4, Jes. IX : 5, idem est, qui ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ dicitur Matt. III : 17, Hebr. I, cui illud nomen κατ' ἐξοχήν competit, quare aliis locis ὁ ἴδιος Rom. VIII : 32, μονογενῆς Joh. I : 14, πρωτότοκος, Hebr. I : 6 audit. Prima vicissim persona Pater ejus; et Pater proprius vocatur Joh. V : 18. Quod ad voces Filium, Patrem, generationem attinet, earum in usu communi et in scriptura significatio facile cognosci atque ostendi potest. *Filius* dicitur, qui eandem ab alio accepit naturam per generationem naturalem. *Pater* qui ita eandem naturam alteri communicavit. Praeterea in usu communi significatione impropria occurrunt. Scriptura etiam eas proprie et improprie usurpat. Pater est Deus, quia omnia hominibus largitur: vitam, imaginem suam. Patrum nomine ii insigniuntur, qui vel auctores sunt alicujus rei, vel aliis amore aut beneficiis patres se praestant. Filius improprie dicitur adoptatus, praeterea filii prophetarum, apostolorum. Sic etiam voces *generare*, et *generari*, proprie significant ex se aliquid ejusdem naturae per generationem producere, aut ita produci. Improprie similitudinem indicant aliquam per regenerationem Joh. I : 13, 1 Cor. IV : 15; facere ut existat Gen. II : 4. Praeterea quidquid molesto labore aliquis consequitur Ps. VII : 15, Jes. LIX : 4. Tandem uno loco Prov. XVII : 17, nasci vel generari, *manifestari* significat, ubi: *Frater in angustia nascitur* hunc sensum habet: ut frater probatur,

ejusque amor ipso opere atque experimentis conspicuus fit.

Nunc perpendendum erit quo sensu, utrum proprio an improprio hae voces de prima et secunda Trinitatis persona usurpentur. Necesse est igitur ut personae vere divinae et generationis proprie dictae ideae inter se conferantur, ut appareat an conciliari possint, sin minus, ratio denominationis intelligenda est. Idea generationis est idea productionis rei similis, in qua haec accidunt: transitus a non esse ad esse; generans genito prior est; in illo activa, in hoc passiva potentia; in utroque aliqua mutatio; in generante actus voluntarius; materies et semen ex quo gignit; in genito dependentia a generante. Quae omnia cum Naturae divinae natione pugnant, quae summae et absolutae est perfectionis, rei a se et per se necessario existentis, neque mutationem patientis. Unde sequitur divinam personam non posse proprie dici genitam esse. Hoc intellecto Theologi semper docuerunt generationem illam esse hyperphysicam, a qua omnia illa esset removenda. Et quando optimi quique nostri Theologi ¹⁾ ab altera parte τὴν αὐτοθεότητα secundae personae defenderunt, ab altera tamen ad tuendam hypothesin de generatione illa, secundam qua Deum a se esse, non vero qua Filium et personam affirmarunt; cujus sententiae sensum ego intelligere nequeo. Quid igitur vocibus *Patris, Filii, Generationis* secundum analogiam fidei et scripturarum intelligendum est? Nam usurpatae ἀνθρωποπαθῶς, θεοπρεπῶς explicandae sunt ²⁾. Nihil magis obvium est, quam voces Patrem et Filium pro mutua ad se invicem σχέσει innuere communionem ejusdem naturae, et ejus communionis per metonymiam antecedentis pro consequenti, manifestationem sive demonstrationem.

1) Calvinus, Zanchius, Danaeus, Gomarus, Voetius.

2) Cf. Turretinus, *Theol. El.* pars I. p. 310.

Haec sententia, nisi veritatibus e scriptura notis, est simplicissima, nulli erroris periculo obnoxia, orthodoxissima. Hisce enim nititur, secundam personam esse verum et summum Deum, independentem in existendo et operando, aeternam et primae coaeternam, aequalem tandem illi, quoad omnia quae ad summam perfectionem requiruntur, et quia semper Theologi a proprio recesserunt significato, ut apparet ex litibus cum Arianis et Socianis, ego simplicissimam improprium sumsi, quae vero *θεοπραπής* est, et Trinitatis hostibus ansam cavillandi praecidit. Hoc enim intelligi potest, eum qui improprie Filius et genitus dicitur, quia per eas voces naturae communio aeterna et publica ejus manifestatio significatur, eo ipso summum et verum Deum esse.

Haec coëxistentia vero personarum distinctionem et characteristicas proprietates non tollit. Tres sunt, hi tres unum. Aliaque qua premi videtur difficultas, si numero tantum differant, Patrem Filium dici potuisse, non video quid molestiae pariat, si aequalem prorsus habeant perfectionem. In oeconomia enim, in qua modus illius communionis manifestatus est, singularem *σχέσιν* habent.

§ 3.

Hujus sententiae cum Scriptura Sacra consensus.

Ad hunc consensum demonstrandum, quod nomen Filii attinet, conferantur Matth. XXVIII : 19 et I Joh. V : 7. Qui apud Matth., *Pater, Filius* et *Spiritus sanctus* dicuntur, apud Joh. *Pater, Verbum* sive *Sermo* et *Spiritus sanctus* audiunt. Quis vero ambigere potest, *Sermonem* vocari secundam personam propter oeconomiam redemptionis, ut Cocceji

verbis utar: *Sermo* est ea persona, cui competit loqui quae nonnisi Deus loqui potest, et qui locutus est cum Patre, quidquid locutus est Pater, et in quo et propter quem Deus est locutus, et potenti suo verbo operatur omnia, nominatim cuius alloquio, sponse, intercessione electi vivificantur et sustentantur ¹⁾. *Sermo* vocatur secunda persona, quia Trinitas per eam se et virtutes et gloriam suam manifestat. Quando scriptura voces Filium et Sermonem alternat, nonne licitum dicere nomen Filii ad oeconomiam spectare. Praeterea nomina *Christus*, *Rex Israël* et *Filius Dei* permutantur Matth. XVI: 16. Joh. I: 50, Joh. XI: 27, quorum duo priora manifeste ad munus mediatorium respiciunt. Tandem in Novo Foedere tota Mediatoris persona Filius Dei vocatur, non tantum quoad naturam divinam, sed Deus manifestatus in carne, cf. Matth. III: 17. Matth. XVII: 5, et imprimis Marc. XIII: 32. Insuper inspiciendus est locus Joh. III: 12 seqq. ubi nomina Filius Dei et hominis inter se mutantur; unumquodque igitur Mediatorem indicet necesse est. Denique imprimis urget Ep. ad Hebr. cap. I ubi docet apostolus duo haec significari Filii nomine: 1^o. naturae divinae communionem et dignitatem; 2^o. ejus per opera et honorem oeconomicum demonstrationem sectt. 1, 2, 3, 8, 9. Filius Dei vocatur, quia verus Deus est, sectt. vero 4, 5, 6. coll. Ps. II: 7, 2 Sam. VII: 14, facta est secunda persona Filius atque ita genita, quando post exinationem per assumptionem formae servi, iterum superexaltata fuit. Quod glorificationis tempus ex mea sententia per τὸ *hodie*, Ps. II indicatur, et *generatio*, quae illi tempori convenit, demonstratio est verae Deitatis, ut Paulus docet, Rom. I: 4, etiam Act. XIII: 32–35 Psalmum secundum

1) *Consid. Princ. Ev. Joh.* § 15.

de glorificatione per resurrectionem interpretans. Unde elucet nomen Filii explicari posse, imo explicandum esse, per naturae communionem et coëxistentiam non tantum, sed ejus etiam in tempore manifestationem et demonstrationem in oeconomia gratiae, per miraculosam nativitatem, verba, facta, resurrectionem, ascensionem, effusionem Spiritus sancti. Fundamentum hujus nuncupationis est aeterna Deitas, sed conjunctum cum manifestatione in humanitate; in illa enim proprie Dei Filius est, imago Dei invisibilis, Col. I : 15, Joh. XIV : 9. Filius igitur est, quippe θεάνθρωπος. Quae sententia confirmatur aliis nominibus in scriptura de eo usurpatis, ad munus mediatorium respicientibus.

Qualia sunt : *Germe Jehovah* Zach. VI : 12, quatenus in carne manifestari, germinare atque efflorescere debebat, in hominum salutem et suam gloriam. Ἀνατολή ἐξ ὕψους. Luc. I : 78, quia descendit ut Dominus ex coelo, cf. I Cor. XV : 47. Χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς καὶ ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ Hebr. I : 3, et εἰκὼν θεοῦ ἀοράτου. Col. I : 15, quia Patris perfectam imaginem gerit, et in oeconomia, omne nomen, virtus et gloria Dei illustri modo et cum magno fulgore demonstrata est. Cf. Joh. XVII : 1, 4—6. Ad totam Mediatoris personam et humanam et divinam naturam, haec sunt referenda loca.

Idem *proprius* et *unigenitus* vocatur, quia perfecta illa communio ei soli est propria, solique asseritur. Primogenitus, quia multos habet fratres minoris dignitatis, quorum Caput, Dominus ac Dux est. Ita cum verbo divino mea sententia congruit, ubique in scriptura sacra confirmatur. Imo scriptura ipsa denique expresse cavisse videtur, ne secunda persona Deitatis proprie genita esse putetur. Dicitur enim Hebr. VII : 3, quod sit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος μήτε

ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Quae de Christi divina natura intelligenda esse ex toto contextu apparet. De tota enim Christi persona negari nequit, quod verum est de alterutra ejus natura, et in humanam haec praedicata non quadrant. Pariter Apoc. I : 11, II : 8, se vocat *primum* et *ultimum*. Non potest ergo vel initium vel causam existendi habere, neque adeo proprie genitus esse, sed non secus ac Pater a se existit. Hisce omnibus perpensis apparet Scripturae minime repugnare, si dicam, voces *Patrem, Filium, generare et generari in emphasi significare, quod secunda persona habeat eandem cum prima essentiam et naturam, illique ab aeterno coëxstiterit, et praeterea quod oeconomicè verbis et factis verus Deus in tempore demonstratus sit.*

§ 4.

Sententiae Orthodoxia.

Haec mea sententia orthodoxissima est; nam convenit cum Symbolo Apostolico, quod vocat eum υἰὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ; cum Symbolo Nicaeno, ubi legimus: Ἀὐτὸν εἶναι τὸν υἰὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τοῦτ' ἐστὶν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεοῦ ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, ὁμοούσιον (consubstantialem) τῷ πατρί. Cum Symbolo Athanasii, ubi tres personae increatae, coaeternae, et coaequales dicuntur, et cum ejus expositione. Cum Catechesi Palatina, ubi resp: XXXIII legitur: quia solus Christus coaeternus est et naturalis aeterni Patris Filius, unigenitus vocatur. Cum Confessionis Belgicae art. VIII et X, qui dicunt tres personas in una eademque essentia ejusdem esse aeternitatis;

et filium ab aeterno esse genitum, ejusdem cum Patre essentiae, illi coaeternum, in omnibus aequalem, verum, aeternam et omnipotentem Deum.

Praeterea consentientes habeo Theologos veteres plures: Isidorum Pelusiotam¹⁾, qui: Vocatur in Scriptura „inquit.” Γέννησις, οὐχ ἵνα πάθος ὑπογράψωσιν, ἀλλ' ἵνα τὸ ὁμοούσιον στήσωσιν· ὁμοουσία γὰρ τῶ ὄντι τὰ τικόμενα τοῦς τίκτουσιν.

Theodotum episcopum Ancyrensem²⁾ haec dicentem: Ἡ γραφή θεὸν καλεῖ τοῦ πατρὸς τὸν μονογενῆ, τὸ ὁμοούσιον παραστήσαι τῇ δόξῃ θελήσασα· ἐπειδὴ γὰρ ὁ σὸς υἱὸς τῆς αὐτῆς σοι φύσεως γεγέννηται, βουλόμενος ὁ λόγος δεῖξαι μίαν οὐσίαν πατρὸς καὶ υἱοῦ, λέγει υἱὸν τοῦ πατρὸς τὸν ἐξ αὐτοῦ γεγεννημένον μονογενῆ.

Gregorium Nazianzenum³⁾ ita scribentem: Δοκεῖ μοι λέγεσθαι υἱὸς, ὅτι ταῦτον ἐστὶ τῶ πατρὶ κατ' οὐσίαν. Inprimis vero verbis Calvinī uti lubet, dicentis⁴⁾: „Constaret haec modo inter omnes fides, Patrem, Filium et Spiritum esse unum Deum; nec tamen aut Filium esse Patrem, aut Spiritum Filium, sed proprietate quadam esse distinctos. Neque vero tam praecisa sum austeritate, ut ob nudas voculas digladiari sustineam. Animadverto enim veteres, multa alioqui religione de iis rebus loquentes, nec inter se, nec secum ubique semper consentire.”

1) *Isid. Pelusiotā in ep. CXLI* : libri IV.

2) *In actis Syn. Eph.* p. 292.

3) *Orat. XXXVI* : p. 590.

4) *Instīt. lib. I. Cap. XIII. § 5.*

§ 5.

Explicatio locorum vulgo hoc in dogmate adhibitorum.

Quod attinet tandem ad locos scripturae sacrae vulgo hoc in dogmate citatos, credo nullum eam generationem aeternam indicare. Age, videamus!

Ps. II : 7. הַיּוֹם יִלְדֶתְךָ a scriptura ipsa explicatur *Act.* XIII : 32, 33. *Hebr.* I : 5. V : 5. Ipse Psalmus vaticinatur de Christi a Judaeis et gentibus reportanda victoria. Sect. 7 verba sunt Christi, in regem super Sion, montem sanctitatis Dei, uncti, ut liquet ex sect. 6. *Hodie* nunquam aeternitatem, semper temporis punctum indicat, ita etiam hoc loco tempus glorificationis et exaltationis; unde, si vocem *hodie* a *genui* non sejungamus, a quo separari nequit, τὸ *genui* non de aeterna generatione, sed de manifestatione illustri divinitatis Christi intelligendum est. Per eam genitus est, quatenus qui hucusque in utero et occulto latuerat, tempore exanitionis, per eam prolatus est in lucem et demonstratus Dei Filius. Cf. Turretinus ¹⁾ et Theodoretus ²⁾.

Prov. VIII : 22. יְהוָה קָנְנִי רֵאשִׁית דְּרֹכָיו קָדַם מִפְּעֻלֵי מַיִם.
Hoc loco ille occurrit qui nobis sapientia factus et eo consilio ante mundum conditum ordinatus et unctus erat in ordine ad oeconomiam salutis; minime ille, qui divinam suam essentiam a Patre accepit, ut patet ex toto contextu et omnibus quae *Cap.* IX de eo narrantur. Illud *possedit*

1) *Theol. El.* part. I. p. 311.

2) *Comment. ad Ps.* II : 7.

me initium viarum, vel initio viae suae, commode ita explicari posse mihi videtur; fui apud ipsum in initio viae sive operum Joh. I : 1, vel fui principium ejus viae, per quem omnia naturae et gratiae opera peregit Joh. I : 3. Eo magis, quia sine dubio in oeconomia divina et suo in ea munere, sapientia cognominatur 1 Cor. I : 30, quae formata vel nata est, ubi in consistorio Trinitatis est uncta, h. ê. designata et ordinata ad munus mediatorium; quae unctio locum habuit πρὸ καταβολῆς κόσμου, Eph. I : 4.

Micha V : 1. וּמוֹצְאָתוֹ מִקְדָּם מִיְמֵי עוֹלָם. De Christo ex Bethlehem nascendo agitur, non vero per egressiones, quae sunt ab antiquo, innui aeternam generationem persuasum habere possum. Facio omnino cum sagacissimo Calvino ¹⁾ hic hoc de dogmate non agi sentiente, et praesertim cum solidissimo Francisco Junio, divinitatis Christi contra Socinianos defensore, haec verba ita interpretante: „Exortus inde a principio, a diebus seculi, sunt declarationes tanquam exorientis solis. Qui inde a principio se ipsum patefecit demonstravitque rebus creatis omnibus, luce verbi sui et virtute operum; quemadmodum exoriens sol luce et effectis suis inde ab exortu se ipsum aperit. Nam in principio erat verbum, omnia per ipsum facta sunt.

Joh. V : 26 : Ὡσπερ γὰρ ὁ πατήρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκεν καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ. Horum verborum hic mihi videtur sensus : quemadmodum Pater ex plenitudine potentiae suae potuit et voluit vitam aeternam et beatam dare peccatori, ita hanc vitam certo pacto voluit esse in Filio, ut Ille esset ejus, tam merito et potestate singulari, quam potentia, causa et origo. Jesus

1) *Instit.* libri II. Cap. XIV. § 7.

sect. 17. 23 ostendit, se esse proprium Dei Filium, Deo Patri aequalem, atque ideo aequaliter cum ipso honorandum, coll. sect. 30, 36 quae respiciunt ad Jesum Mediatorem, nam qua talis non suam perfecit voluntatem, sed Patris qui eum miserat. Spectant igitur oeconomiam Trinitatis, in qua prima quidem persona Legislatoris et Judicis personam agit; secunda vero misericordis sponsoris, Mediatoris ac Legati, rebelles Patri reconciliantis, unde dominium in populum redemptum et iudicium ei est datum. Ex his manifestum est, Christo duo illa maxima et mirabilia opera: resuscitationem et vivificationem mortuorum et iudicium universale tribui oeconomice, ut patet ex nexu sect. 21, 22, itemque 25, 26, 27. Finis horum operum est demonstratio gloriae Jesu Christi Mediatoris, cf. sectt. 23, 36, 37.

Joh. VI : 57. καθὼς ἀπέστειλέν με ὁ ζῶν πατήρ καὶ ἐγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, καὶ ὁ τρώγων με καὶ κεῖνος ζήσκει δι' ἐμέ.
 In hoc loco interpretando verba magni Theologi ac Philologi Theodori Bezac mea facio, quorum summa haec est : Christus hic de se loquitur quatenus est manifestatus in carne, de se ut Mediatore. Cum proinde, neutra ipsius natura per se sive seorsim sit mediatrix, et Christus sese ad Judaeorum captum hic etiam accommodans, in humanitate Deitatem, et quidem ad personam Patris relatam, potius quam in Deitate humanitatem contemplandam proponat; verum quidem est, sed non prorsus huic loco apposita de Filii Deitate essentiali, in sese considerata, suscepta contra Arianos disputatio. In summa igitur, quum vivere sese Christus per Patrem dicat, a quo sit missus, hoc significat, carnem suam esse vera vita praeditam, quoniam *σωματικῶς* in ipso habitet plenitudo *θεότητος*, quam suo more ad Patris personam refert. Itaque ad gratiam unionis, non ad habitualement gratiam, sive ad ipsius uni-

tionis effectum in carne assumpta creatum respicit. Totus contextus a. sect. 27—58 hoc confirmat. His igitur in locis nullum aeternae generationis vulgo assertae fundamentum invenitur. Video tantum et persuasum habeo, Filium esse verum et aeternum Deum et perfectissimam habere cum Patre naturae divinae communionem, illi ab aeterno coëxstitisse, et in tempore suam et Patris gloriam ac divinitatem operibus maximis demonstrasse, et ut Deum in carne manifestatum esse illustrissimo modo.

Col. I : 15. εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου audit, quia Patris perfectam gessit imaginem, et in oeconomia omne nomen, virtutem et gloriam Dei illustri modo et magno cum fulgore demonstravit. cf. Joh. XVII : 1, 4—6. Ex mea opinione ad totam Mediatoris personam, et humanam et divinam naturam hoc est referendum. coll. *Col. II : 9.*

Haec de Röellii sententia sufficiant : suam ipsum exponentem et defendentem audivimus opinionem ex scriptis ejus petitam. Quomodo sit dijudicanda, infra videbimus, ubi ejus sententiam cum illorum qui vel ante eum, vel eodem tempore vixerunt opinione comparabo, atque ante Patrum compellabo tribunal, ut ab iis eum condemnatum vel absolutum audiam. Nunc procedendum erit ad antagonistam Campegium Vitringam, ut ejus sententia, ecclesiaeque doctrina alacri animo propugnata, fortibusque confirmata fulcris, nobis innotescat.

CAPUT IV.

SENTENTIA VITRINGAE.



Duas illo praemisit theses, a quibus, ut aiebat, in ecclesia Reformata sine scandalo non licet recedere: 1^{am}. Filium, secundam personam s. s. Trinitatis, ab aeterno a Patre esse genitum. 2^{am}. Hanc esse primam et praecipuam rationem, quod secunda illa persona s. s. Trinitatis dicatur Filius.

Sententia vero Ecclesiae et Campegii Vitringae de aeterna generatione Filii Dei a Patre, in scriptis comprehensa, haec est: *Prima persona proprie genuit secundam et fecit ut existeret cum imagine perfecta primae, omnique ejus nomine et gloria. Secunda ita proprie genita est, et a prima accepit existentiam et naturam divinam. Haec est ratio cur prima Pater, secunda Filius vocatur.*

Eodem modo hoc in capite ac praecedenti agam, eum ipsum exponentem et defendentem audions, et quidem ita, ut primo, de significatione vocum Patris et Filii tractem;

secundo, de objectionibus *cum* e scriptura petitis, *tum* e ratione haustis; *tertio*, de hujus sententiae orthodoxia; *quarto*, de interpretatione locorum hoc in dogmate adhibitorum.

§ 1.

Significatio vocum Patris et Filii.

Ad demonstrandam, sic ille, ac defendendam ecclesiae fidem, videamus oportet quid significant nomina *Pater* et *Filius*, quia ita in verbo divino prima et secunda essentiae divinae persona vocantur, ex. gr. Joh. V : 20 ὁ γὰρ πατήρ φιλεῖ τὸν υἱόν. Quae nomina aliquid significant necesse est, quod congruum eorum usui et significatui vulgari haberi possit, nempe ut indicent relationem duarum personarum inter se. Pater enim dicitur qui alium producit cum sua imagine; filius qui ab alio cum imagine productus est. Sive proprie, sive improprie adhibeantur hae voces, semper hanc significationem sibi vindicant. Spiritus sanctus igitur in verbo Dei his vocibus usus, hoc profecto indicare voluit, primam, certo sibi convenienti modo secundam produxisse; secundam a prima modo Deo digno esse productam. Vel aliis verbis, primam totam suam essentiam cum secunda communicavisse; secundam a prima proprie esse genitam.

Communio naturae et coexistentia causa hujus nuncupationis esse nequit, quia participem esse ejusdem naturae, simul cum alio existere, minime respondet usui vocum Patris et Filii; Spiritus s. eos fratres denominasset, vel alia dictione fuisset usus. Praeterea vox Pater aliud quid significare debet quam Filius, ut apparet v. c. ex 1 Joh.

I : 3. Nomen Filii tantum ad manifestationem in carne, ad munus mediatorium referre, aequè absurdum, nam secunda persona in carne quidem se manifestavit, secundum pactum cum duabus ceteris, non vero ideo Filius cognominatus est. Spiritus sanctus enim, ubi se manifestat in ecclesia, non propterea Filii nomine insignitur, et Ps. II : 7, num significabit : *Tu es Deus meus, manifestatus in carne?* Ante illam apparitionem jam hoc titulo erat ornatus, ut apparet ex Gal. IV : 4, Prov. VIII : 24. In scripturae stylo nunquam praeterea nasci, vel generare, significationem manifestandi habet. Nam Prov. XVII : 17. *Amicus semper amat, frater in angustia nascitur*, hic est sensus: quamvis amicus semper socium suum amet, tempus angustiae eum fratrem roddit, ubi tempus angustiae Patris munere fungitur; vel frater ad fratrem suum in angustia adjuvandum nascitur, ubi nasci proprio suo sensu sumitur. Cf. Prov. XXVII : 1, ubi dies mater est quae aliquid producit, et Cant. VIII : 5, ubi de ecclesia sermo est, quae improprie Jesu mater vocatur, quia eum confessione, doctrina et operibus in mundum inducit. Tandem in munere mediatorio probavit et ostendit se esse Filium Dei, non vero quia Mediator fuit, ita dictus est, ut elucet ex Joh. X : 36. Rom. I : 4. Hebr. V : 8. His omnibus perspectis et ponderatis, facile intelligitur, ecclesiam recte et verbo divino consentienter docere, Filium eum nominatum esse ob generationem proprie dictam.

Eadem secunda persona in Scriptura sacra proprius Dei Filius, et prima proprius ejus Pater dicitur, Rom. VIII : 32. Joh. V : 18, quia in eo tota Patris imago exprimitur, omniumque perfectionum et gloriae particeps est. cf. Hebr. I : 5. Praeterea primogenitus et unigenitus audit Col. I : 15. Hebr. I : 6. Joh. I : 18, quarum

nuncupationum altera indicat natales ejus aeternos esse, antequam ulla esset creatura; altera ostendit modum existendi a prima tam proprium esse secundae, ut nihil nec in coelis, nec in terra ita existat.

Hisce de propriis formulis in scriptura expositis, ago jam paucis de impropriis videamus.

Hebr. I : 3. *δόξα* lux est fulgens primae personae, quae refulget vero in secunda, et *ὑπόστασις* omnes Patris perfectiones et proprietates Filio communicatas significat. Propterea a Paulo dicitur :

2 Cor. IV : 4. Col. I : 15 : *εἰκὼν τοῦ θεοῦ* h. e. natura sua divina Dei est imago, verus igitur Dei Filius.

Jes. IV : 2. Zach. VI : 12. Germen Jehovae, quod intelligendum de divina ejus origine, nam secundum humanam germen Davidis audit.

Luc. I : 38. *ἀνατολή*, quae ex alto i. e. ex coelo est, quae formula indicat eum esse modo convenienti a Patre.

Haec de modo existendi sufficiant, de operandi modo nunc pauca sunt afferenda.

Joh. V : 19. *ὁ υἱὸς ἅψ' ἑαυτοῦ οὐδὲν ποιεῖν δύναται*. Pater ei ostendit omnia quae facit. Haec indicant, voluntatem et opera Filii ordine subjecta esse voluntati et operibus Patris, et respiciunt ad ea, ut contextus docet, quae Dei Filius facit, ut Mediator quidem, sed quatenus divinae naturae compos est.

1 Cor. VIII : 6. Pater est fons omnium, et per Filium operatur, cujus voluntas modo Deo digno Patris voluntati subjecta est.

1 Cor. XV : 28. Filius post opus a se perfectum subicietur ei, qui Filio omnia subjecit, et ostendetur secundum oeconomiam esse a Patre, qui erit omnia in omnibus. cf. Eph. III : 14. Hujus fidei fundamenta per totam scrip-

turam se extendunt. Prima persona dicitur Pater et Deus domini Jesu Christi Eph. I : 17; praeterea creavit et sustentat mundum per Filium Joh. I : 3. Col. I : 16. Hebr. I : 3; Filium heredem instituit omnis terrarum orbis Ps. II : 8. Hebr. I : 2; Insuper prima persona dicitur mittere Filium Jes. XLVIII : 16; amorem suum probasse in mittendo Filio Rom. VIII : 32; Filio Mediatori post praestitam obedientiam, gloriam et regnum dedisse Joh. XVII : 5. Phil. II : 6, 7. Secunda vero persona Filius et tanquam Mediator servus Dei audit Jes. XLII : 1. Primam non tantum Patrem, sed Deum etiam vocat Joh. XX : 17; porro dicitur angelus aut legatus primae Jes. XLIII : 9. Joh. VI : 29; nobis a Deo sapientia esse facta 1 Cor. I : 30; denique, qua Mediator, aliquid a Patre poscere, et precari Ps. II : 8, Joh. XVII : 6.

Quando v. c. inspiciam locum Rom. VIII : 32, explicare sensum nequeo nisi naturali existentiae et operis relatione posita. Pater enim non magis quam Filius et Spiritus s. Filium daret, dum scriptura indicat Patrem esse fontem omnis existentiae, voluntatis, operisque et in natura et in gratia. Filii voluntas, eadem quae Patris, attamen modo honesto Ejus voluntati subdita; hinc Pater dici potest Filium suum mittere. Ex illa relatione amor peccatori habitus, in Deo ut in origine cernitur.

Ex his omnibus e scriptura haustis et bene intellectis efficere licet, nomina *Patrem* et *Filium* proprio sensu esse accipienda.

§ 2.

Objectiones contra hanc sententiam motae.

Hac in fide ecclesia ab apostolorum inde aetate per omnia secula stetit, eamque contra oppositiones strenue defen-

dit. Has objectiones et ego refutare conabor 1^o. e scriptura petitas refellens, 2^o. e ratione haustas.

E scriptura sacra objectio *prima* derivatur a nomine Spiritus sancti, quo tertia persona dignoscitur, quod nomen certo certius ad opus redemptionis referendum est. Haec autem veritatis fulcro carere mihi videtur. Spiritus est ventus egrediens, halitus oris Dei Ps. XXXIII:6; est substantia intellectu et voluntate praedita, quae modo, naturae divinae conveniente, a Patre procedit. *Secunda* ex eo ducitur, quod nomina Filius et Sermo promiscue occurrunt; Sermone vero ad oeconomiam respiciente, nomen Filius etiam illuc pertineret. Sed ita etiam Deus I Tim. III:16, et spiritus sanctificationis Rom. II:4, eandem vim haberent, quia cum sermone commutantur. *Tertia* objectio haec est: Hebr. VII:3 vetat, quominus origo divinae Christi naturae affirmetur. Sed Paulus h. l. de Melchizedeko agit, narratque eum non habuisse patrem, nec matrem terrestrem. Hoc ad Filium Dei applicat, cujus natura non est ex terra, quippe divina.

E ratione haustae oppositiones hae sunt: generatio proprie dicta repugnat aeternitati et independentiae, notissimae illae objectiones ex cavillationibus cum Arianis, Socinianisque. Priusquam vero confutationem aggrediar, meam de ratione ejusque usu sententiam palam faciam necesse est. Datur recta ratio ejusque usus in homine post lapsum, nec non principia veri et falsi, conjuncta cum facultate ex principiis illis ratiocinandi, unde sermo, demonstratio, convictioque originem ducunt. Interdum homo infallibiliter ratiocinari potest, et quaecunque per conscientiam cognita sunt, Dei sunt dictata. Nihil ergo iis adversum revelari potest, quare omnia illis contraria rejicienda. Haec vero certis cancellis sunt circumscribenda. Varia ratiocinationis sunt impedimenta, ideo quod non exhauriamus rerum proprietates. Magna inde

in conclusionibus incertitudo, quae imprimis cernitur in iis, quae de Deo revelata sunt. Ratiocinatio enim cum nitatur notionibus innatis, cumque earum quidem perfectionum, quae ad essentiam et naturam Dei pertinent, impressae nobis a Deo notiones sint, non vero de mysterio Trinitatis, philosophus de illis quidem, minime vero de hoc potest suam proferre sententiam, nisi secundum revelationem. Ita tamen ut non temere quodvis verbum pro divino habeat, sed sensum rationis h. e. communium notionum ope investiget, instituta collatione similium testimoniorum, tandemque consideret an per revelationem destruat aliqua notio communis. Age, nunc ostendam illud hoc in mysterio non fieri!

Quod ad *aeternitatem* attinet, legimus in verbo divino Filium esse acternum, imo ab aeterno genitum Prov. VIII : 24, 25, non creatum, sed genitum Col. I : 15. Generare autem est aliquid producere modo naturali et sibi proprio. Ita secunda persona modo Deo digno est genita. Porro Dei perfectiones involvunt eum habere Filium. Deus semper fuit perfectus, Filius igitur aeternus et simul genitus.

Quod ad *independentiam*, Filius independens est, quippe particeps omnium perfectionum, essentiae et vitae divinae Joh. V : 26. In oeconomia et operandi ordine dependens Joh. V : 19. Inde autem non sequitur eum non esse verum Deum, sed eum non esse Deum Patrem. Tandem Cocceji verba ¹⁾, quibus contra Socinum utitur, mea faciam. „Qui asserit non proprie dici posse aliquem Dei Filium, vel ex Deo genitum, negat τὸν μωυσογενῆ, qui τῇ κτίσει opponitur.” Nec non alia Viri docti verba contra Equitem Polonum ²⁾ : „Cui credemus? Deo tam evidentem de se

1) *Disp. sel.* p. 86, ad Matt. V : 9.

2) p. 24.

testanti, an illi, qui, quia a nemine ille modus unitatis intelligi potest, ideo decernit esse negandum, quod dictum est, et Deum ad modulos creaturae reducendum? Si omnia alia intelligeret, si suam ipsius animam et quod illa imperium in membra habeat, nosset; si sciret, quomodo possibile sit se ipsum fieri et existere, cum nihil aliquando fuerit; si sciret, quomodo Deus pugillo aquam metiatur, et coelos spithama dirigat, et tricntali mensuret pulverem terrae, et trutina montes collesque appendat : forte ferremus eum determinantem ex sui intellectus mensura, quid verum falsumque sit in Deo, qui major est omnibus creatis; sed nunc dicere : Hoc non intelligimus, ergo non est verum, id sane est praejudicio suae rationis sive potius ratiocinationis Scripturam subijcere.”

§ 3.

Hujus sententiae orthodoxia.

Haec sententia ita contra objectiones defensa etiam orthodoxa est, nam convenit cum anionis formulis et a Patribus confirmatur. Cum Symbolo Apostolico consentit : Πιστεύω εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τὸν μονογενῆ. Cum Symbolo Nicaeno : Καὶ εἰς ἓνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ πατρὸς μονογενῆ, ταυτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα ¹⁾). Cum Catechesi Palatina quaest. 33. «Christus solus coaeternus et naturalis Dei Filius est.” Cum conf. Belgica art. X : «Unicus est Dei Filius ab aeterno genitus, non

1) Cf. Suicerus, *Thesaurus eccl.* Tom. II, p. 1095, in voce Σύμβολον.

factus aut creatus, sed ejusdem cum Patre essentiae, illique coaeternus: qui est vera imago substantiae Patris, et splendor gloriae Ipsius, in omnibus illi aequalis," et quae sequuntur¹⁾. Inprimis autem cum Patrum doctrina, ut elucet ex scriptis contra Arianos. Sic Isidorus Pelusiota scribit de προόδῳ τοῦ Χριστοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς²⁾. Theodotus episcopus Ancyrensis³⁾: λόγος γὰρ εἴρηται ὁ μονογενῆς, ἐρμενευσούσης τῆς θείας γραφῆς τὸ ἀπαθὲς αὐτοῦ τῆς γεννήσεως· ἐπειδὴ καὶ νοῦς ἀνθρώπων ἀπαθῶς τίκεται τὸν λόγον. Ἀπαύγασμα καλεῖ (ἢ γραφή) τὸν μονογενῆ τοῦ πατρὸς· τὸ γὰρ ἀπαύγασμα τίκεται. Gregorius Nazianzenus⁴⁾: Μὴ φιλοσοφῆσης θεοῦ γέννησιν· οὐ γὰρ ἀσφαλὲς· εἰ μὲν γὰρ τὴν σου γινώσκεις, οὐ πάντως καὶ τὴν τοῦ θεοῦ· εἰ δὲ μὴδὲ τὴν σου, πῶς τὴν τοῦ θεοῦ; ὅσω θεὸς τοῦ ἀνθρώπου δυστεκμαρτότερος, τοσούτῳ καὶ τῆς σῆς γεννήσεως ἀληπτότερα ἢ ἀνώ γέννησις, et rursus⁵⁾: Ἀκούεις γέννησιν, τὸ πῶς μὴ περιεργάζου. Tandem apud Theodoretum⁶⁾: ἀγνοοῦσιν οἱ ἀνάσκηται ὡς μάκραν ἂν εἴη μεταξὺ πατρὸς ἀγενήτου καὶ τῶν κτισθέντων ὑπ' αὐτοῦ ἐξ οὐκ ὄντων, λογικῶν τε καὶ ἀλόγων· ὧν μεσιτεύουσα φύσις μονογενῆς, δι' ἧς τὰ ὅλα ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν ὁ πατήρ. Et universe quando Patres eam generationem in controversiis Arianis dixerunt ἀκατάληπτον, ἀρρήτον καὶ ἀνεξιχνίαστον, ita omnes praescindentes argutias.

Restat ut tandem Vitringam locos vulgo ad hanc generationem aeternam probandam usurpatos explicantem audiamus.

1) Cf. Cl. Vinke, libri symb. p. 224.

2) Ep. 141, libri IV. initio.

3) In actis synodi Ephesinae.

4) Orat. XXXV.

5) Orat. XXIX.

6) Lib. I, Cap. IV in epistola Alexandri ad Alex. Constant. Episcop.

Interpretatio locorum hoc in dogmate adhibitorum.

Ps. II : 7. Est testimonium Patris de Filio. Tu es ille, Filius meus, excellens prae omnibus aliis cf. *Hebr.* I : 5. Tu imaginem meam modo perfectissimo geris, qualis neque hominibus, neque angelis data est, et mihi obedientiam perfectam praestitisti in assumenda natura humana. Hodie te generavi. *Hodie* de aeternitate intelligi potest, quod nil absurdi habet, quia Deus temporis spatio non circumscribitur. Mihi autem melius explicari posse videtur, contextus ratione habita, de glorificationis ad Dei dextram momento, de die ascensionis, quo corona sua Filius ornatus est. Tunc est generatus, quia modo evidentissimo apparuit, Jesum esse Filium Dei, ab aeterno a Patre genitum, regem et summum suorum sacerdotem constitutum.

Prov. VIII : 22 seqq. Testimonium exhibet Filii de Patre et se ipso, sapientia suprema, secunda Trinitatis personae. Vox קנה sect. 22 significat, *partu, opera aliquid adipisci, possidere* cf. *Gen.* IV : 1. Arguit sapientia de prima persona : Initio viae suae me adeptus est, ante colles natus sum. Aeternam igitur suam generationem manifeste hoc loco promulgat.

Micha V : 1. Juxta exitum ex Bethlehemo ponuntur exitus ab aeternitate, qui uterque exitus nativitatem indicet oportet, ut pulchritudo et vis comparationis servetur. Hic loci sensus erit : Ille, qui temporis plenitudine Bethlehemi natus est, ab aeterno processit, h. é. genitus est a Deo, Patre, modo convenienti et divina essentia digno.

Joh. V : 26. Ita interpretandum est. Pater vivit per

suam omnisufficientiam; Filius eandem vitam habet ac Pater i. e. ejusdem omnisufficientiae a Patre acceptae compos est. Quod patet ex toto contextu inde a sect. 21—29. Christus probat contra Judaeos se esse ἴσον τῷ πατρί. Id arguit ex operibus suis in genere s. 19, dein latius extendit et demonstrat ex speciminibus operum, sibi a Patre commissorum. Inter haec refert judicium sect. 22—25. Cujus sententiae s. 26, datur ratio. *Nam sicut Pater* seqq. Scilicet scrupulus erat, qui fieri posset ut Christus credentibus in se auctor esset et causa vitae? Respondet Christus, ideo se esse vitae auctorem, quia Pater ipsi dedit vitam habere in se ipso, h. e. quia Pater suam omnisufficientiam cum ipso communicavit. Vere igitur atque praeclare hunc locum interpretatus est egregius interpres Pellicanus: «quemadmodum Pater vitam habet in se ipso, ut eam quibus velit impertiat et restituat, ita dedit et Filio, ut in sese totius vitae fontem habeat.»

Col. I: 15. εἶκων τοῦ θεοῦ ἀοράτου πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Natus antequam ulla esset creatura. Paulus respicit ad Prov. VIII, et agit de Jesu natura divina, non de tota Mediatoris persona, qua Dei invisibilis erat imago, sicut Filius imago Patris est. Hac erat primogenitus omnium creaturarum, quod sectionibus seqq. explicat, nam per eum omnia creata sunt. Fuit autem ante omnia per aeternam a Patre generationem.

His omnibus expositis et perspectis, apparet doctrinam ecclesiasticam, Filium ab aeterno proprie a Patre esse genitum, firmissimis fundamentis esse supraedificatam. Scriptura manifeste hoc mysterium revelat et indicat. Ratio ejus veritatem non oppugnat. Illa puram Dei veritatem proposui, Spiritus sanctus efficacia sua operetur ad persuasionem.

§ 5.

Sententia Driessenii et Meilsmae.

Laudata Vitringae opinione exposita, paucis duorum aliorum Rœellii antagonistarum, qui scriptis edendis se liti immiscuerunt, sententia erit explananda. Primum igitur de Driessenio, deinde de Meilsma agam.

Driessenii scriptum, *Specimen de sententia ecclesiae recepta, et viri Prof. Rœellii de generatione aeterna Filii a Patre*, editum est, rogante synodo Appingadamensi, cui in sessione mensis Aprilis a^o. 1719, sententia viri doctissimi Rœellii, utpote sagacissima, non recte intellecta a pluribus visa est. Petivit ideo a Driessenio s. Theol. Prof. in Academia Groningana, ut controversiam lucide a se expositam typis mandaret, ut in posterum tales evitentur errores. Instigatus ab ordine Theologico Academiae suae, desiderio quamvis invitus satisfecit, et suam hac de lite expositionem edidit ¹⁾. In hujus dissertationis parte *prima* controversiae status indicatur, primum Rœellii sententiâ ex scriptis ejus recte expositâ, dein traditâ ecclesiae sententiâ, quae ambae jam supra memoratis innotuerunt. In parte *secunda* ansa et causae proferuntur, quibus Rœellius ad suam thesin sit inductus. Inter quas has recenset: Socinianos, Christi divinitatem negantes, aeterna Filii generatione valide refutari non posse, nisi de coëxistentia intelligatur et communione. Praeterea his annumerat Theologorum loquendi formulas ut; Filium productum esse a Patre. Inter se pugnare ab alio esse attamen aeternum. Nomen,

1) Cf. Art. 40 actuum hujus Synodi.

Filius Dei in scriptura sacra permutari cum *Christo*, *Mediatore*, *Sacerdote Summo*, *Rege Israël*, quorum posteriora cum referenda sint ad gratiae oeconomiam, videtur etiam nomen *Filius* huc pertinere. Hebr. I : 4 directe hoc indicare videri, ubi nomen Filii per hereditatem secundum aeternum pactum accepisse dicitur. Locos pro sententia allatis communi longe aliter explicandos esse. Hanc opinionem confirmat, per tertiae personae *Spiritus sancti* nomen, quod ad oeconomiam tantum respicit. Tandem, prorsus aequalitas tolli videtur, si diversus operandi et existendi modus ponitur, nam perfectio quae est in Patre, nempe *generare* Filio deest; perfectione τοῦ *generari* Pater caret.

In parte *tertia* vera ecclesiae sententia cum argumentis pro illa pugnantibus exponitur, illustrata et confirmata contra virum Cl. Röellium.

Ad demonstrandam propriam generationem eodem fere modo disputat quo Vitringa, imprimis nisus locis Ps. II : 7, et Prov. VIII : 24, qui naturalem ponere necessitudinem videantur, generationemque indicent divinam, omni imperfectione in hominibus obvia carentem. Nam ab alio esse ita, ut prioritatem et posterioritatem includat, majoremque dignitatem vel minorem prae se ferat, ab hac generatione prorsus alienum est. *Aseitias* enim perfectio summa divina filio non est deneganda, imo unica est causa, quare Deus vocetur. In refutandis adversarii argumentis ita pergit. *Manifestari* nunquam *generare*, *pater esse et filius* significat. Manifestatio est indicatio illius generationis, non vero ipsa generatio. Patefactus est Filius Dei, quod ponit cum jam antea hoc insignitum fuisse nomine. Praeterea oblata et accepta hereditas, postulata et praestita obedientia causae non sunt hujus nuncupationis, sed contra quia Pater et Filius fuerunt, haec facta sunt. Deinde

praeparatum corpus et manifestatio in corpore causa esse nequit, ideo enim non esset Patri *aequalis*. Joh. V : 18. Praeterea *Sapientia* Prov. VIII : 24 commemorat generationem, quae locum ante *σαρκιότησιν* habuit. Explicat *Sapientia* quomodo ab aeternitate uncta mediatrix fuerit, nempe quia ante omne tempus, incomprehensibili modo sect. 27, 30, fuit genita. Sect. 22: *Deus me possedit*, diversum existendi modum et operandi ponit; secunda persona proprietas est primae, quae possessio ad oeconomiam gratiae nequit referri, nam ante opera, molimina, decreta ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Πατρὸς erat. Eodem modo Col. I : 15 πρωτότοκος πάσης κτίσεως audit. Quod ita est intelligendum: Filius fuit ante omnes creaturas genitus ex Patre ab omni aeternitate, sic ut esse creator potuerit omnium. Tandem neque peractio oeconomiae salutis causa esse potest, nam Hebr. V : 8 καίπερ ὢν υἱὸς ἔμαθεν ἀπ' ὧν ἔπαθεν τὴν ὑπακοήν nomen Filii minime ex obedientia ducitur, sed, quamvis esset Filius ab aeterno jam a Patre genitus obedientiam didicisse dicitur. Röllio assentiri Driessenius non potest putanti, vocem καίπερ synonymam esse τῷ καίτοι Hebr. IV : 3 et verti posse per, *quia, propterea quod*. His demonstratis concludit nomina Patris et Filii originem ducere ex essentia divina, modumque existentiae primae talem esse, ut sit Pater, secundae ut sit Filius. Praeterea haec duo vera sunt: Filius verus Deus aseitatis est particeps, nihilominus a Patre modo nobis incomprehensibili est genitus.

In parte *quarta*, qua, quomodo scriptura illam generationem miraculosam explicet, exponit, illustrat hos scripturae locos :

Joh. V : 26, cujus hic ex ejus opinione est sensus. Ex contextu apparet Jesum ostendere Filium perficere omnia

posse eodem modo independenti, omnisufficienti ac Pater. Vivificat quos vult. Sect. 26 igitur non ex oeconomia gratiae est explicanda, sed ex modo, quo aequae ac Pater agit. Hoc *dare ut vitam habeat in se ipso*, ita Deo dignum est intelligendum, ut Filius verus maneat Deus. Inprimis hoc patet sectionis sequentis ratione habita. Quia hominis Filius est, Deus ei mundi iudicium tradidit. Ultima verba *in se ipso*, significant necesse est aeternam potentiam et omnisufficientiam. Cf. Joh. VI : 57 *Καθὼς ἀπέστειλέν με ὁ ζῶν πατήρ καὶ γὰρ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, καὶ ὁ τρώγων με καὶ αὐτὸς ζήσκει δι' ἐμέ.* Christus fons est vitae eorum, qui per eum vivunt, sicut Pater perfectissimo modo fons vitae est Filii.

Col. I : 15. Haec imago visibile quid esse non potest. Quare igitur Christus *imago Dei invisibilis* vocatur? Minime ob humanam naturam, neque quia operans, docensque est Mediator. Invisibiliter imago Dei est invisibilis, Patri aequalis. Nuncupatio illa redolet generationem eam miraculosam, quam Paulus ita explicat : *Nam est ante omnes creaturas, nempe a Patre* cf. Joh. XIV : 9. *ὁ ἑώρακὼς ἐμέ ἑώρακεν τὸν πατέρα.* Una eademque essentia est Patris et Filii et ita Pater in Filio conspicuus.

I Cor. VIII : 6. *ἀλλ' ἡμῖν εἷς θεὸς ὁ πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα* seqq. Hic diversus operandi modus indicatur, nam ex Deo omnia sunt, ipsa etiam Trinitas adeo.

I Cor. III : 23. *Χριστὸς δὲ θεοῦ.* Quod si ad oeconomiam spectat, oeconomicum certo naturale praesumit coll. Prov. VIII : 24.

In parte *quinta*, difficultates contra ecclesiae sententiam ortae tolluntur. *Ab alio et simul aeternus esse et independens, contradictionem continet.* Nuncupatio Patris et

Filii, generare et generari indicant eum esse a Patre, ordine existendi et operandi personam secundam et hoc quidem modo nobis incomprehensibili. Modus existendi Patris necessario secum affert modum existendi Filii, et contra. Nam Filius non factus est, aut esse incepit, sed secunda persona aequae necessaria est ac prima. Qui Deus est, necessario est ita semper Pater, Filius et Spiritus sanctus. Generatio haec mysterium, quod mentem nostram superat.

Quando omnes imperfectiones ab hac generatione secerantur, verae generationis idea tollitur, deitatis manet. Respondet : Ecclesia hac generatione eam intelligit, quae in Deum cadere potest, quamvis modo nobis incomprehensibili sit facta omnibus sublatis imperfectionibus. *Sed remanet illud esse ab alio, quae imperfectio est.* Essentia autem Patris et Filii eadem habetur in ecclesia. Personae distingui possunt, essentia vero non item. Filius est a Patre, ita tamen ut omnis excludatur prioritas, posterioritas, dependentia. Omnes sunt et in Patre et in Filio perfectiones ejusdem essentiae simplicis, divinac.

In parte *sexta* explicat nonnullos Scripturae sacrae locos objectos. Hebr. I : 4 : fuit Filius, ubi heres constitutus est. Hoc loco dicitur per hereditatem nomen acquisivisse prae angelis, quod accidit, quia fuit novae oeconomiae caput.

Ps. II : 7. Vox illa *hodie*, objecti quocum conjungitur ratione habita, significare potest aeternitatem, cf. Prov. VIII : 30 *Delectatio ejus omni die*, ubi dies aeternitatem indicat. Hic locus etiam ita accipi potest, ut sensus fiat : *Tu es a me et semper a me es modo perfectissimo, existendi et operandi ordine et modo persona secunda.* Paulus hoc vaticinium repletum esse putat, quum Deus Jesum suscitavit Act. XIII : 33, et ita disputat : Promissio Patribus

facta illum, qui Dei erat Filius, aliquando esse venturum, tunc impleta est quum eum suscitavit Deus.

In parte tandem *septima* gravitatem controversiae ponderat. Ex ejus opinione non est Sabellianismus, nec Tritheismus, nec negatio divinitatis Christi, nec Socinianismus, neque generationis aeternae infitatio, sed in explicatione hujus generationis illa est quaerenda. Hoc est controversiae caput: Non esse in adoranda divina essentia naturalem, cuique proprium, specialem existendi et operandi ordinem; sed nomen Patris et Filii esse arbitrarium, ita ut qui nunc dictus est Pater, Filius dici potuisset. Cujus haec est tristis sequela: unitas periclitatur, si negamus Filium esse a Patre, Spiritum sanctum a Patre et Filio. Mihi enim videtur aequalitas earum a Rööellio positarum perfectionum, ad eandem dignitatem quidem et potentiam, non vero ad unitatem ducere.

Restat adhuc breviter *Meilsmae* antistitis Boxumani sententiam referre, expositam in scripto ejus *Veritas passiva*. Litis summâ indicatâ Rööellium Socinianae haereseos accusat, quia, sicut illi, aeternam Filii generationem negat, et ita receptae ecclesiae reformatae doctrinae adversatur, quamvis ceterum Trinitatem et Christi Deitatem fide recipiat. Vehementer in Rööellium invehitur omniaque ab eo adducta refellere argumenta conatur, qua in re autem non semper excusandus, neque eodem ubivis cum fructu agere existimandus est. Plura, in quibus cum sociis convenit omittam, nec non Rööellii argumentorum refutationem, tantum diversam ejus opinionem referens.

In explicandis vocibus: *Patre, Filio*, quod minime eo sint usurpandae sensu, quo de creaturis accipiuntur, citat Rufinum ¹⁾. „Certo quando Filium audis, nolo te pu-

1) Explicatio Fidei.

„tare generationem carnis, sed consideres, has res dici de
 „natura spiritualis essentiae simplici. Si enim in ea ge-
 „neratione, quod pectus sermonem pariat, vel lux splendo-
 „rem proferat, nulla fragilitas invenitur, quanto magis hoc
 „de eo accipiendum, qui haec omnia creavit.” Praeterea
 citantur Junii, *Loci communes Theologiae* Cap. XXVII.
 Gomari *Disp.* VII, Thes. 17. Glassii *Rhet. Tract.* I,
 Cap. VII.

Quod ad usum vocum Filii et τοῦ λόγου permixtum,
 secunda persona λόγος de Deitate dicitur, quod inprimis
 patet ex 1 Joh. V : 7, ubi secunda persona cum prima et
 tertia una esse dicitur. Praeterea Theologi hac in re non
 consentiunt. Antiquitas orthodoxa nomen λόγον cum Filio
 equiparavit, aeterna generatione secundae a prima, sicut
 sermo ex pectore exit, intellecta. Sic etiam conf. Belg.
 art. VIII, ubi secunda persona a prima et tertia diversa,
verbum, sapientia et imago Dei audit. Hic articulus ita ex-
 plicatur a Maresio: „Haec nomina Filio adscribuntur per
 „illam supranaturalem et aeternam generationem, de qua Mi-
 „cha V : 1, Prov. VIII : 25, sermo fit.” Nec non Momma²⁾:
 „Si locutus non fuerit, attamen logos sive sermo fuisset,
 „nam sicut aeternus Filius, ita etiam est verbum aeternum,
 „quamvis hominibus patefactum ad eorum salutem plenissime
 „fecerit et dixerit, quae facere et loqui τὸν λόγον sive ser-
 „monem oportebat.”

Postquam deinceps copiose, interdum etiam magna cum
 invidia, Röllii argumenta refellere et locos e Scriptura
 citatos atque inter se comparatos demonstrandi vi privare

1) § 20.

2) *De statu diverso eccl. Dei, sub oeconomia triplici*, lib. III. Cap.
 III, § 15.

conatus est, quae omnia propter convenientiam cum Vitrinae opinione, sententiaque tunc recepta praetermitti possunt, nonnullos locos interpretatur, qui citatu digni sunt, propterea quod vel ab aliis differt, copiosiusque de iis agit, vel pulchre eos explicat.

Col. I : 15. Mediator primogenitus omnium creaturarum dicitur, i. e. antequam ulla esset creatura, ab aeterno modo Deo digno genitus. Hac interpretatione minime inter creaturas recensetur, quia ut primogenitus, non primocreatus ponitur, idque eo magis, quia res antea memoratae, creatio et sustentatio eum ab iis secernunt, et ubi Sect. 18 caput ecclesiae vocatur in omnibus primum, aeterna eius Deitas, qua primogenitus a Patre est, intelligitur.

Prov. VIII : 22, 24. Haec verba a pluribus una cum *Verbo et Sermonem* de aeterna generatione intelliguntur. Sicut Alexander episcopus Alexandriae dicit ¹⁾: „Si Filius est „Logos vel Sermo Patris, quomodo tempus fuit, quo ille non „erat? Si quis diceret, Deum aliquando sine ratione et „sapientia fuisse.” Et Irenaeus ²⁾: „Perpetuo apud eum „(Patrem) Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus sanctus, „per quos et in quibus omnia libere fecit, quos alloquitur „dicens : Faciamus hominem.” Nec non Cyprianus ita „argumentatur ³⁾: „Christum esse primogenitum et Sapientiam ipsam, a quo omnia creata sunt.”

Joh. V : 26. Ex toto contextu apparet hoc loco agi de Christi vera Deitate, unde sect. 26 legimus : „Ὡςπερ ὁ πατήρ ἐστ. Verba ὡςπερ et ὅτι non sunt conjungenda cum *habere in se ipso et dare*, sed ἐστ apud Patrem ἐστ apud Filium cum *habere in se ipso*, ita ut legamus: Sicut Pater

1) Socrates, H. E. Lib I, Cap. 6 in ep. Alexandri contra Arianos.

2) Contra Haer. lib. IV, Cap. 37.

3) Testimonia Contra Jud. lib. II.

vitam habet in se ipso, ita dedit Filio vitam habere in se ipso. Hic sensus est : Quemadmodum Pater vivit per divinam suam omnisufficientiam, sic Filius eodem modo per suam vivet omnisufficientiam, quae ab eodem oritur, quippe cum eo per aeternam generationem a Patre communicatam. Insuper haec verba ad illud, quod Jesus erat demonstraturus, referenda sunt. Ut Pater secundum suum beneplacitum reddere mortuis vitam potest, sic etiam Filius ob essentiam divinam communicatam, vitam impertire potest, quibus vult. Pater hoc perficit per sibi propriam potentiam, sine ullo merito secundum suam voluntatem a nemine dependens. Filius perficit per datam a Patre potestatem, satisfactionis suae ratione habita, tanquam missus a Patre ex ejus mandato. Praeterea indicatur quomodo hanc possideat vitam, nempe in se ipso. Pater ab aeterno ei dedit vivere vitam divinam, independentem per suam essentiam, quae a se ipsa est.

Tandem pulcherrimam, ut mihi videtur, exegesis memorare volo, in qua prae Rœellio, suisque sociis excellit, ubi agit de loco Hebr. VII : 3 : ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. Hic locus minime obstat quominus aeternam cogitemus generationem, nam h. l. non sermo est de Christi Deitate, sed de munere mediatorio. Cum sacerdotibus comparatur Leviticis. In utroque comparationis membro munus sacerdotale in censum venit, quod ad totam Christi personam pertinet. Hic de munere illo sacerdotali agitur. Nemo hoc officio fungi poterat, nisi pater ex gente esset Aäronitica et mater bona uteretur fama, quamobrem genealogia erat indicanda cf. Ezrae II : 62. Inde manifestum sacerdotes Hebraeos habere initium dierum et finem vitae. His

oppositus est Melchizedek, cui ante Moïsis tempora viventi non opus erat, ut suam ostenderet genealogiam, qua initium et finis ejus vitae palam fieret. Eatenus Melchizedek Filio Dei similis est, in quo κατ' ἐξοχήν haec locum non habuerunt. Patrem, matremque a quibus ortus erat ostenderet ei non necesse erat, ut ad munus adscenderet sacerdotale.

Ita exposita est Roëllii et *Adversariorum* doctrina in dogmate de aeterna Filii generatione. Quenam sententia praefenda, quidve de utraque judicandum sit in sequenti speciminis capite ostendere conabor, in ejus *parte priore* sententias expositas inter se comparabo, et ante ejus aevi tribunal feram, ita procedens ut primo loco de *rationis usu* agam; secundo de *interpretatione locorum Scripturae sacrae*; tertio de *voce persona*, quarto de *epistola anonymi cujusdam*. In *posteriore parte* eorum sententiam ad Patrum, nominatim Origenis et Athanasii, doctrinam examinabo, ut tandem ex his judicium meum petam.

CAPUT V.

UTRIUSQUE SENTENTIA COMPARATA ET PONDERATA.



PARS PRIOR.

§ 1.

Rationis usus.

Cartesii nomen audientibus statim nobis succurrit metus, ab eo inter Theologos excitatus, nec non ejus meritum, quod philosophiam ab ecclesiae auctoritatis jugo liberaverit, viamque liberam disquisitioni de dogmatibus straverit, in ecclesia per traditionem receptis. Sententia de *Philosophia ancilla Theologiae* huc usque recepta, ita ut per fidem perveniretur ad intellectum, ab eo rejiciebatur, et in scientiarum orbe nova aperiebatur periodus, quae cogitandi libertatem et certitudinem non aliter posuit ac vindicavit, quam Lutherus fidei libertatem certitudinemque. Non mirum igitur eum, qui a dubitando in omnibus incepit,

periculosum videri fidei, auctoritate superstructae ecclesiastica, ideoque odio habitum esse a Theologis, cum contra regulam usitatum, quae fide tenentur ratione probantur, fidem rationi subjiceret humanae. Ejus systema irrepsit inter Theologos, qui ab illo magistro instituti, mox inquirere in ecclesiasticam inceperunt doctrinam. Inter eos et noster Røellius, qui redolere *Cartesianismum* censebatur, quod a vero non longe abesse inter alia patet ex thesibus eo praeside defensis, ita sese habentibus: „Deus ut triunus non est objectum metaphysices, cujus quippe trinitas longe diversa est ab ea, quam in omni re cogitante observare possumus, atque adeo ex ratione non constat. Credendum tamen in philosophia aut theologia nihil est, ne in mysteriis quidem, nisi quod clare et distincte percipimus sive ex ratione, sive revelatione”¹⁾. Ejus etiam sententia de *aeterna Filii generatione a Patre* a nonnullis ex *Rationalismo* orta esse habebatur²⁾.

Quid autem de *ratione*, ejusque in theologia usu senserit Røellius, breviter exponam, cumque Vitringae sententia comparabo. „Rationis partes sunt, agnita verbi divinitate, quae docet tum singula seorsim perpendere, tum inter se et cum aliis apertis Scripturae sententiis, cumque ideo innatis et communibus notionibus conferre, atque ita ex analogia Scripturarum et fidei, verum sensum et sententiam investigare et demonstrare”³⁾. Quamquam enim largiar multa esse quae sine revelatione singulari nunquam assequi ratio omnibus suis viribus potuisset et possit,

1) Defensae ab Aeschino Swaagmans, deinceps sacr. antistite Franequerano, in disp. *De Indifferentia Dei circa decretum et opera externa*. 1687, ed. alt. 1713.

2) Ludewig, *de phil. caute legendis*. Cap. I. § 8.

3) Diss. primae, § 8.

„atque etiam comprehendere postquam revelata sunt, plane
 „et plene et quoad omnem modum nequeant, non persuaderi
 „potui, revelatum aliquid a Deo esse, quod rationis dicta-
 „mini sit contrarium, et insulsum illud effatum, *hoc verum*
 „*est philosophice, falsum theologice*, tanquam veritatis
 „opprobrium proseribo. Neque enim ob ejusdem falli et
 „fallere nescii Dei auctoritatem, idem pro vero et falso
 „haberi potest, nisi ab eo, qui Deum sibi ipsi contradicere
 „h. e. mentiri posse impudenter et blasphemè affirmare,
 „eaque ratione omnia humanae certitudinis fundamenta con-
 „vellere velit ¹⁾. Id solum quod et quatenus clarum est
 „et cognitum credi, non id quod et quatenus obscurum et
 „ignotum est in Scriptura sacra potest ac debet” ²⁾.

Verum hic Cartesii discipulum se esse ostendit, ideas
 innatas, claram et distinctam perceptionem, ut unicam
 veram, aliaque afferens, quae Cartesii notae sunt charac-
 teristicae ³⁾. Copiosius autem sententiam ejus perpenden-
 tes, imprimis in Oratione de Religione rationali expositam,
 reperiemus, quam recte et principiis Christianis convenien-
 ter de ea sentiat. „Revelationis notae si dignosci ab
 „homine debeant, necesse est ut non infidelem intra se
 „veri et falsi, boni et mali arbitrum habeat, qui causas ac
 „rationum momenta examinare ac dijudicare et dirimere
 „litem possit. Quid vero illud in homine sit, si ex
 „Pauli scito, decidi debeat, nemo ambiget, quin con-
 „scientia sive ratio sit. Quamquam enim vir divinus nihil
 „loqueretur nisi *λόγια Θεοῦ*, id tamen sibi simpliciter affir-
 „manti credi nolebat, sed quemvis auditorem eorum quae

1) Diss. primae, § 9.

2) Ib. § 11.

3) Cf. Meditatio III Cartesii.

„loquebatur iudicem atque arbitrum constituēbat, neque
 „aliā ob causam verba sua, ut Dei verba obsequiosa mente
 „recipi volebat, quam propter τὴν φανέρωσιν τῆς ἀληθείας
 „πρὸς πᾶσαν τὴν συνείδησιν ἀνθρώπων, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ.
 „(2 Cor. IV : 12). Jubet itaque omnes omnia δοκιμάζειν,
 „explorare et perpendere et nihil inconsulte ac temere cre-
 „dere ¹⁾. Neque enim acquiescere in aliorum scitis et
 „placitis, sed causas rerum indagare, hoc demum generosi
 „pectoris, hoc hominis est. Praecipue versandum est noc-
 „turna divinaque manu Dei verbum, ex quo religio ratio-
 „nalis perfecte addisci potest” ²⁾.

Ita fidem auctoritate nisam rejicit, hominique tribuit jus,
 ut testimonio Spiritus Sancti ductus iudicium ferat de
 veritate ab apostolis tradita, post maturum iteratumque
 examen. Videntur enim ei rationis effata homini minime
 esse neganda, si Christianus esse vult. Disquisitio seve-
 rissima non est metuenda, dummodo cum amore et timore
 Dei, animoque fiat sincero et illuminato. „Injuriū sunt
 „in nostram religionem, qui de ea loquuntur, ac si homi-
 „nem deponere et rationem ejurare debeat, qui Christianus
 „fieri velit. Talem enim esse puto ut rigidissimum rationis
 „examen sustinere, et omnium se conscientiis, qui quidem
 „non data opera coecutire velint, approbare queat” ³⁾.

Egregie ab eo ita exponitur, Christianam religionem non
 esse talem, ut externa auctoritate homini veritatem mani-
 festet et obtrudat, pugnantem cum iis, quae per experientiam
 in natura, et in animo adeptus sit. Illustrat vero Chri-
 stiana religio et illuminat hominem, purgat opiniones, ra-

1) *Oratio de rel. rat.* § 159.

2) *Ibid.* § 180.

3) *Ibid.* § 176.

tionem peccati vinculis liberat, eumque aptum reddit ad Dei nomen cognoscendum legemque, ita ut homo aeternae conscius fiat suae destinationis, et quo magis Christianus, eo magis rationalis moralisque. Religio Christiana est religio rationalis Rom. XII: 1, cum homine vero consentit, dumque homo ex natura et se ipso Deum cognovit, illa eam scientiam complet, corrigitque. In homine organon, facultas adest, qua illam Dei notitiam sibi acquirat. Organon illud est ratio, inepta autem facta peccato, rerumque studio sensibilibus corrupta. „Non ratio quidem, sed rectus rationis usus deest,” ex Röllii sententia, quo loco citat Rom. I : 20_b, 22 ¹⁾. Homo τὰ ἐπὶ τῆς γῆς cogitat, loco τῶν ἀνω, ὁ ψυχικὸς τὰ τοῦ πνεύματος οὐ δέχεται, quia potius sensibus subjecta reputat, quam mentis oculum in veritatem dirigit divinam. „In timore Dei igitur est philosophandum” ²⁾. Röllius Dei reverentiae primarium tribuit locum, quia corde purus solus videbit Deum, eique tantum jus adscribit ut religiosam dijudicet veritatem. Ratio per Christum illustrata fert iudicia, et ita Röllius Rationalismi absolvi potest calumniae, cum Rationalismum illam esse intelligimus doctrinam, quae rationem summum statuit iudicem, secundum vulgo receptas decernit opiniones, et religionem Christianam citat ante tribunal rationis corruptae peccato, obcoecatae praejudiciis. Nec non Socinianismi liberatus est macula, qui voce *persona*, sensu *individui* offensus in trinitate Tritheismum vidit, et ad immanentiae divinae ideam cum adscendere non posset, Deum transcendentem, otiosum, a mundo diversum tantum retinuit; qui eodem modo aeternam Filii generationem anathemate petiit, quia

1) *Oratio de rel. lat.* § 150.

2) *Ibid.* § 180.

contradictione refertae erant ejus aetatis opiniones, verum autem et biblicum non intellexit sensum, qui et huic dogmati erat fundamento. Röellius doctrinam quidem ecclesiasticam rejicit, dogma vero ipsum retinet, conatus illud coaptare intelligentiae, et contradictione purgare, ita ostendens se a Rationalismo Sociniano procul abesse, cupiens esse rationalis.

Postquam ita de Röelii sententia vidimus, ad Vitringam adversarium erit procedendum, ut quae hic de *ratione* ejusque usu statuerit, nobis innotescat. „Recta aliqua ratio ejusque usus in homine post lapsum reliqua esse non negari potest, si termini sane explicentur. Sunt in homine reliqua principia veri et falsi. Scit Deum esse, se esse. Conscius etiam sibi est sui erga Deum et proximos officii, et secundum illas veritates intime sibi cognitae judicat. Etiam ex his principiis et notionibus ratiocinandi facultas non prorsus homini est adempta, in quibusdam enim peccator ratiocinatur *infallibiliter*. Atque hinc accipio id, quod a nobis per intimam certitudinis conscientiam sic cognoscitur, haberi debere pari loco ac si a Deo ad mentem nostram esset revelatum. Quare lubens concedo Deum nihil quidem quam revelare posse mortalibus, quod contrarium sit illis veritatibus, quas revelat ad conscientiam ejusque. Agnoscio igitur, verbum revelatum esse veritatem debere demonstrari ex principiis veri et boni. Quare si quid nobis verbum venditaretur pro divino, quod naturales nostras, easque evidentes de Deo notiones everteret, id verbum eo ipso a conscientia nostra esset condemnandum” 1).

Cum Vitringam ita disserentem audimus, opinemur eum mox sui temporis doctrinam ecclesiasticam esse op-

1) *Epil. disp.* § VIII.

pugnaturum, et rejecturum dogmata, quae suae aetatis interpretatione ante sanae rationis, imo principiorum veri et falsi tribunal essent condemnanda. Ubi autem rationalem promulgare Dei notitiam videtur, fundatam viribus homini a Deo concessis, quae peccato debilitatae quidem, non vero extinctae sunt, et cum Maresio dicere : «Revelatio
 «praesupponit in homine lumen naturae et usum rationis.
 «Ipsa religiositas tam arcto vinculo cum ratione humana
 «connectitur, ut jure dicat Tertullianus : Praemisit Deus
 «naturam, submissurus et prophetiam, quo facilius credas
 «prophetiae, discipulus naturae”¹⁾); mox ita hominis rationalis jus limitat Vitringa, ut nullum fere in rebus religiosis ei iudicium relinquatur. Hoc enim modo disputat :
 «Varia hujus ratiocinationis sunt impedimenta et abusus,
 «unde contingat, experientia teste, ut, qui eadem habeant
 «principia, differant in conclusionibus de eadem re. Praecipua
 «ejus causa est, quod non exauriamus proprietates rerum. Hinc non est tutum in omni casu ad ratiocinationis
 «evidentiam confugere, cum saepe lateat consecutionis
 «necessitas, et fallantur millies, qui claras et distinctas
 «jactant perceptiones. Si tanta est incertitudo in aliis,
 «multo magis in iis quae revelata de Deo sunt. Cum enim
 «ratiocinatio nitatur notionibus innatis, et earum quidem
 «perfectionum, quae ad essentiam et naturam Dei pertinent,
 «impressae nobis a Deo notiones sint, non vero de mysterio
 «trinitatis; potest philosophus de illis, non vero de hoc
 «ratiocinari. Nihil ergo de eo nisi secundum revelationem
 «affirmandum aut negandum est, ita tamen ut non temere
 «quodvis verbum pro divino habeamus. Sensum investigate-

1) *Syst. Theol.* p. 347.

mus instrumento rationis i. e. communium notionum, instituta collatione similium testimoniorum" ¹⁾).

Idearum innatarum doctrina Vitringae adempta, nulla veritatis certitudo ei superest, quum in iis omnem ponat notitiam, etiam religiosam. Ratio retruditur, et repugnante ea fidei capita sunt admittenda, quia tanquam revelata denuntiantur; ratio enim magnis erroribus est obnoxia. Statim autem jus ei restituitur, decernet enim de verbi divinitate, deque sensu eorum quae in eo narrata sunt. Vitringa si sibi constitisset, sicut Røellius dogma negasset, quod forma, qua eo tempore prodiit, explicitum, de eadem re duo praedicabat attributa directe pugnantia, *esse ab alio*, et *esse a se*. Ubi utrumque disserentem audimus, utrumque *Cartesianis* erroribus laborantem iisdem videmus, Røellio majorem prae Vitringa laudem tribuo quod presserit, in religione a Christo denuntiata, Magistri vestigia, qui neque actatis opiutiones, neque sensum communem judicem suae constituit doctrinae, sed appellavit ad unumquemque Dei perficere voluntatem cupientem; hic de veritate a Christo promulgata dijudicet, utrum ex Deo sit. Minime ratio sola, sed *λατρεία* sanctificata et illustrata iudicium ferat, sicut egregie dicit Røellius: In timore Dei philosophandum est.

§ 2.

Interpretatio locorum Scripturae Sacrae.

In parte exegetica ²⁾, si explicationes inter se compa-

1) *Epil. disp.* § 10.

2) Hac in re bene meruit Røellius, *Commentario suo in Principium ep. ad Ephesios* 1715, et *disp. Theol. tribus ad Eph. I: 15, 16, 1717.*

ramus, palma rursus Rœellio est porrigenda, qui plurimis locis non de τῷ λόγῳ præexistente, sed de Christo Mediatore agi putat, ut apparet ex interpretationibus supra citatis ¹⁾, ubi Ps. II : 7, Joh. V : 26, Joh. VI : 57, Col. I : 15, minime de præexistente Christo, sed de Θεανθρώπῳ intelligit, de τῷ λόγῳ in carne manifestato, et ita viam ingressus est ab optimis ei signatam Theologis. Si vero inspicimus Vitringæ commentarios, videmus eum, ecclesiae doctrina coactum, torquere, suaeque accommodare opinioni locos vulgo usitatos. Unum afferam exemplum.

Col. I : 15. εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου, a Rœellio de tota intelligitur Mediatoris persona, quae in carne manifestata, nobis veram Dei imaginem præbuit, ut, eum videntes, Deum ejus Patrem contemplerur; Vitringa vero Paulum hic ad Prov. VIII respicere putat, deque Jesu divina interpretatur natura ab aeterno genita, qua tantum Dei imago dici possit, quia humana quamvis excellentissimis dotibus prædita nunquam vera Dei est effigies, quippe finita, dum divina infinitate gaudet.

Quae si inter se comparentur interpretationes, certo prior erit eligenda, quia Paulus in epistola ad *Colossenses* Cap. I, de historico agit Christo, ut patet ex toto contextu, imprimis Sect. 14, ubi dicitur, nos in eo habere peccatorum remissionem. Sed nolo ego judicare. Calvinii explicationem apponam, ut ille discernat, utri primarius sit tribuendus locus. Agit ita in loco Col. I : 15. «Deus in se h. e. nuda in majestate invisibilis est oculis corporis et rationi humanae, in unico vero Christo patefit, ut in eo tanquam in speculo contemplerur eum. In Christo enim justitiam, bonitatem, sapientiam, fortitudinem, tan-

1) Cf. pag. 41 seqq.

«dem se ipsum nobis ante oculos posuit.» Cum Røellio igitur consentit, et in Christo, in quo *κατόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεϊότητος σωματικῶς* veram nobis expressam esse Dei imaginem putat. Eodem modo Calvinus ceteros hoc in dogmate adhibitos scripturae locos interpretatur, quos commemorare hic operae est pretium, ut inde videamus, cum, quamvis dogmatice reciperet aeternam Filii a Patre generationem, exegetice fundamento biblico illam privasse, enunciatis in Confessione Belgica e scriptura petitis demonstrandi vim ademisse, et in eo saltem cum Røellio consentire, aeternam generationem in verbo divino non esse revelatam. Age! eum interpretantem consulam.

Ps. II : 7 : «Scio hunc locum de aeterna generatione a multis fuisse expositum, qui in adverbio *hodie* argute philosophati sunt. Sed hujus vaticinii fidelior ac magis idoneus interpres est Paulus, qui Act. XIII : 33, ad illam, quam dixi, coelestis Christi gloriae demonstrationem nos «revocat.» *Micha V : 1 :* «Adjungit Propheta egressus ejus esse ab initio et a diebus seculi. Hic significat non fore «repentinum, quod surget princeps, qui populum gubernet, «quia jam olim hoc divinitus fuit decretum. Hic est simplex sensus. Scio quosdam insistere pertinacius, quod hic «loquatur Propheta de aeterna essentia Christi, et quantum «ad me spectat libenter agnosco, hic probari nobis Christi «divinitatem, sed quia hoc nunquam extorquebitur a Judaeis, malo simpliciter accipere, quod sonant Prophetarum «verba.»

Atque ab eo Vitringae condemnatur interpretatio Joh. V : 26, qui magnis verborum ambagibus ostendit Christum hic suam Judaeis probare divinitatem, quia sicut Pater vivit per suam omnisufficientiam, sic et Filio dedit vivere per suam omnisufficientiam. Calvinus vero de Mediatore in-

telligit, ita scribens : «Ostendit unde tanta voci suae effi-
 «cacia, quod scilicet ipse sit fons vitae et eam voce sua in
 «homines effundat. Neque enim nobis ex ore ejus proflu-
 «eret vita, nisi penes ipsum esset causa et origo. Neque
 «enim Deus vitam in se habere dicitur tantum, quod pro-
 «pria virtute et extrinseca solus vivat, sed quia vitae ple-
 «nitudinem in se continens omnia vivificat. — Sed quia Dei
 «majestas, ut est procul a nobis dissita, similis esset scate-
 «brae latenti et absconditae, ideo palam se in Christo exse-
 «ruit. Habemus itaque promptum et expositum fontem ex
 «quo haurire liceat. Hic verborum est sensus, quod Deus
 «vitam apud se occultam et quasi sepultam habere nolue-
 «rit, atque ideo transfuderit in Filium, ut ad nos manaret.
 «Hinc colligimus proprie hunc titulum adscribi Christo,
 «quatenus in carne manifestatus est.»

Itaque Calvinus, verus, sagax, piusque ille Theologus a Vitringa differt, cum Rœllio consentit, et convenit insuper cum contextu, et orationis, quam Jesus habuit, scopo, ut ostenderet nempe se non violasse sabbathum sanando claudico, nam, quia Pater semper operatur, ideo Jesus operabatur. Nil autem fecit nisi Patrem prae-euntem videret, qui ei omnia ostendit. Nam sicut Pater mortuos vivificat, sic et Filius, vitam enim illam veram quae ex Deo est, Pater ei dedit, ut cum hominibus eam communicaret. Nostro loco θεάνθρωπος Jesus Christus de se ut hominum Conservatore loquitur, minime aeternam suam a Patre generationem demonstrare vult. Eodem modo agit Calvinus in loco Joh. VI: 57, quem Bezae vestigia premens egregie Rœllius explicuit de Christo Mediatore ¹⁾. «De aeterna Christi divinitate hic non agitur,» ita Calvinus,

1) Cf. pag. 43.

„quia se ipsum proponit, ut carne nostra vestitus se patefecit
 „mundo. Quod ergo se vivere propter Patrem dicit, non
 „competit in nudam divinitatem: neque etiam simpliciter
 „et per se humanae naturae convenit, sed elogium est Filii
 „Dei in carne manifestati. — Notandum est tres hic recenseri
 „vitae gradus. Primum locum obtinet vivens Pater qui
 „scaturigo est, sed remota et abscondita. Sequitur Filius,
 „quem habemus velut fontem nobis expositum, et per quem
 „ad nos vita diffunditur. Tertia est vita, quam nos ab ipso
 „haurimus. Nunc tenemus summam, quia Deus Pater penes
 „quem residet vita, procul a nobis distat, Christus quasi
 „medius statuitur, qui est secunda vitae causa, ut inde ad
 „nos usque perveniat, quod alioqui in Deo lateret.”

Has ubi legimus Calvinii interpretationes, dubio procul
 sententia Röellii erit praefenda, et in parte exegetica
 major ei prae Vitringa est tribuenda laus, si scripturae
 fundamentum deesse aeternae a Patre generationi arguit,
 et locos vulgo hoc in dogmate adhibitos de Christo in
 carne manifestato intelligi vult. Calvinus certo ei pal-
 mam dedisset, et adversarios condemnasset, qui hos locos
 de divina essentia et aeterna generatione intelligentes ab
 Arianismo procul non erant, ut patet ex Driessenii
 commentatione in Col. I: 15: „*πρωτότοκος πάσης κτίσεως*
 „est: genitus antequam ulla esset creatura, genitus nempe
 „a Patre, quod apostolus ita probat, quod omnia ab eo sunt
 „creata.” Arianus libenter ei assensus fuisse mihi videtur,
 Arianismum enim subtilem redolet. Simul etiam auctorem
 confessionis Belgicae condemnatum a Calvino videmus,
 qui art. X, ad *ab aeterno genitus, nec factus, nec crea-*
tus citat Ps. II: 7, Col. I: 15¹⁾.

1) Cf. cl. Vinke, *Libri Symb.* p. 95.

Alia etiam et magna erroris causa quaerenda esse mihi videtur in usu vocis *personae*, de qua nunc tertio loco paucis videre volo.

§ 3.

De voce Persona.

Hac voce et Røellius et Vitringa utitur ad describendam Trinitatem. Røellius: „Una tantum,” inquit, „essentia divina, unusque Deus, tres vero divinae personae: quia „Deus ita in verbo suo se manifestavit, quod tres hae „distinctae personae sint unus ille verus et aeternus Deus”¹⁾.

Vitringa: „Una essentia divina communis est tribus „vere divinis personis, in verbo divino dictis Patri, Filio „et Spiritui Sancto”²⁾.

Ubi Røellius procedit in explicanda aeterna generatione, Filio ét coëxistentiam ét aeternitatem tribuit, ut personae secundae, quae a se est, non a prima, Patre, illum autem Deum independentem, aeternum dicit, in Dualismum prolabitur, quia Filium juxta Patrem ut secundam personam existere arguit. Dogma igitur ecclesiasticum errore purgare, et menti coäptare cupiens, voce persona, ut individuo, ut aliquid quod per se et a se existit, intellecta, majoris reus fit erroris, duosque habet juxta se Deos.

Vitringa, trium personarum existentiam arguens, Trithemismi est accusandus, vel si generationem urget, et ad Hollandiae Australis Synodi quaestionem: „An per aeternam Filii generationem a Patre intelligenda esset coëxistentia cum Patre ab aeterno;” respondendum est: „Neu-

1) Diss. primae, § 13.

2) Brevis expositio. Thesis II.

tiquam": Subordinationismus inducitur. Filius igitur non erat aeternus cum Patre, sed genitus a Patre, et hoc quidem ab aeternitate. Ab eo vero et ab aliis qui ab ejus parte stabant discernebatur inter *absolutam*, et *limitatam* aeternitatem, quarum haec indicabat ante mundum conditum. Quando posteriori sensu vocem accipimus, Arianismus est introductus: qui, quomodo ex Vitringae sententia evitari possit, non video. Nam si prima persona communicavit omnem suam essentiam cum secunda, prioritas primae negari nequit. Vox *Persona*, non recte intellecta, quae Socinum induxit ut Trinitatis doctrinam proscriberet, Servetum movit, ut Trinitatis confessores Tritheismi blasphemiae et sacrilogii reos faceret, et hic magna est litis causa. Neque Röellius, neque Vitringa veram vocis intellexerunt significationem, et eorum sententiam dijudicans, cito Calvinum aliosque praecursores in Theologia, ut hi eos instruant et condemnent. Calvinus dicit ¹⁾: „Ne quis triplicem Deum somniet, aut putet tribus personis lacerari simplicem Dei essentiam. Tres in Deo sunt hypostases. Hoc Latini expresserunt *Personae* voce, sicut Graeci docuerunt *τρία πρόσωπα* in Deo esse." Deinceps ²⁾: „*Personam* voco subsistentiam in Dei essentia, et subsistentiae nomine aliud quiddam intelligi volumus quam essentiam. Itaque quum fixum illud maneat, Deum unum esse non plures, *Verbum et Spiritum* non aliud esse quam ipsam Dei essentiam constituimus" ³⁾. In Joh. I: 1 annotat: „Excusatione tamen digni sunt veteres ecclesiae scriptores, qui quum aliter rectam et sin-

1) *Instit.* libri I. Cap. XIII: 2.

2) *Ibid.* 6.

3) *Ibid.* 16.

«ceram doctrinam adversus flexiloquas haeticorum am-
 «bages non possent asserere, voces quasdam excogitare
 «coacti sunt, quae tamen non aliud sonarent, quam quod
 «alioqui in scripturis traditur. Tres hypostaseis vel per-
 «sonas in una et simplici Dei essentia subesse dixerunt. —
 «Τὰ πρόσωπα vel *Personas* vocarunt discretas in Deo *pro-*
 «*prietates*, quae se mentibus nostris conspiciendas offe-
 «runt.” Sic etiam Thomas Aquinas ¹⁾: «Aliud est
 «quaerere de significatione nominis *persona* in communi, et
 «aliud de significatione *personae* divinae. Prima signifi-
 «cat substantiam individuum rationalis naturae. Distinctio
 «autem in divinis non fit nisi per relationes originis. Re-
 «latio autem in divinis non est sicut accidens inhaerens
 «subjecto, sed est ipsa divina essentia. Unde est subsis-
 «tens, sicut essentia divina subsistit. *Persona* igitur di-
 «vina significat relationem subsistentem.”

Ad quae si attendissent nostri adversarii, et tres in Tri-
 nitate personas, tanquam τρόπους ὑπάρξεως considerassent,
 profecto non tam vehementer fuisset litigatum. Vitringa
 enim aliam ecclesiasticae doctrinae subesse ideam perspe-
 xisset, eamque tunc receptam doctrinam esse rejiciendam,
 quia eadem essentia communicare secum essentiam nequit,
 quae tamen absurditas sua in expositione dogmatis occurrit.
 Röellius ad profligandos Arianos, Socinianosque
 meliora sibi adesse arma reperisset, ubi rejecta latina voce
persona, usus fuisset vocibus a Patribus Graecis usurpatis,
 πρόσωπῳ vel τρόπῳ ὑπάρξεως, quae omne errandi, et Tri-
 theismi periculum tollunt.

1) *Summa* qu. 29 art. 4.

§ 4.

Epistola anonymi cujusdam 1).

Hujus loci est commemorare epistolam, ab ignoto quodam, vigente hac lite, scriptam. Magnopere se delectatum Röelli fuisse sententia dicit auctor, quod opinetur verba Patrem, Filium, generationem improprie esse sumenda, quippe quae proprio sensu aeternam Filii Deitatem evertant. In his cum Röellio se consentire affirmat, in eo vero ab illo discedere quod aliter, quamvis etiam improprie, ea intelligat. Ita suam exponit opinionem. Vera sunt indicia, quae in divina denotent essentia verum Patrem, Filium, nec non generationem, quae quamquam repugnantia videantur, facile conciliari possunt. Hoc lampadis exemplo, quae lumen profert illustrat.

Lampas patris officio fungitur, lumen est filius ab illa genitus. Pater, Filius, generatio hic in censum veniunt, non autem ratione humana. Idem de sole valet qui diem gignit, nihil vero ex plenitudine lucis suae amittit. Haec quando ad Filii Dei generationem applicantur, facile in oculos incurrere ei videtur, hic non aliter rem se habere. Deus enim dicitur φῶς 1 Joh. I : 5, Filius ἀπαύγασμα Hebr. I : 3, quod minime *materialiter*, sed *virtualiter* est accipiendum. Φῶς autem est Pater aeternus, sic etiam Filius ἀπαύγασμα aeternus est, generatioque aeterna. Eadem imagine

1) Cui titulus : *Simplex commentatio, epistola amico cuidam scripta de disputatione de gen. F., nuper inter Proff. sacra in Theologia H. A. Röellium, et C. Vitringam Franequerae ventilata. Qua forte doctrina Sacrosanctae Trinitatis et Deitatis Christi, recte proponebatur. In Christianorum usum communem typis mandata.*

usus Paulus Rom. XVI : 27 dicit, *μόνος σοφός θεός*, vel aeternus intellectus, cujus *ἀπαύγασμα*, *sapientia*, *λόγος*, *sermo*, *verbum*, occurrit tanquam genitus vel unigenitus Filius. Sicut ens intellectu praeditum semper ex mente sua producit sapientiam, sic Deus unicus sapiens ab aeterno genuit, adhuc gignit, semperque gignet sapientiam suam (*λόγον*) ut Filium suum, sicut veteres dixerunt: *φῶς ἐκ φωτός*. Generatio haec prorsus alius est naturae quam propria, propterea vero minime rejicienda.

Deinde epistolae scriptor generationem hanc aeternam nequaquam mysteriis annumerandam esse censet, quae nostro comprehendi intellectu nequeant, nam ita maxima Arianis, Socinianisque erroris ansa datur, qui magnas animadvertunt nostra in expositione contradictiones, quae inde ortae videntur, quod veritas, tam clare in Scriptura Sacra tradita, tribus coöperta sit tegumentis.

Primo enim verba Pater, Filius, generatio in Scriptura Sacra usurpata proprie dicta esse aestimantur. *Secundo*, verbum *Deus*, nomen substantivum *proprium* habetur, dum *appellativum*, *relativum* est. *Tertio*, vox *persona* alia usurpatur significatione, quam quae ex veterum sententia ei est tribuenda. De *prima* litis causa jam supra egit, duas posteriores ita paucis explanat.

Secundo. Nomen *Deus* vulgo nomen proprium substantivum, naturam essentiamque indicans habetur, quod proprie de spiritu sapienti, aeterno, omnipotenti, improprie de angelis usurpatur hominibusque. Haec autem opinio est rejicienda. Moses enim, magistratus, angeli passim in Scriptura Sacra Dii vocantur, ratione habita potestatis, quam in alios exerunt. Ita ens supremum, Deus unicus, summi Dei nomine notatur, quia magnam eam non ab alio accepit potestatem, sed a se habet, ut omnium creator. Nomen igitur appel-

lativum, relativum esse videtur, quod ad rem, actumve aliquom est referendum. Qualis ratio pictorem inter exstat et pingere, talis Deum inter et summum habere jus potentiamque. Hoc sensu Supremus summorum, Dominus dominorum, *Deus Deorum* audit. cf. Dan. II : 47.

Tertio. Vox *persona* ita describitur *substantia indivisibilis, vivens, intellectu praedita, per se existens, ab aliis diversa omnibus.* Haec descriptio Deo tribuitur modo perfectissimo. Quando igitur secundum hanc sententiam profiteamur credere tres in Trinitate esse personas caveamus ne in Tritheismum incidamus, inque Socinianorum incurramus culpationes. *Persona* vero longe aliud quid ex veterum usu indicat, idem nempe quod πρόσωπον a Graecorum theatro mutuatum. Est *vultus, figura, modus existendi.* Eo modo veteres hoc verbo usi sunt, intelligentes Deum omnium rerum creatorem fuisse quidem extra et ante omnes creaturas, non vero solum in se ipso, i. e. ratione carentem; sed Eum in et apud se habuisse *sapientiam, τὸν λόγον, et spiritum* (efficaciam), quibuscum et per quae omnia creavit cf. Ps. XXXIII : 6; Prov. VIII; Joh. I : 3; Hebr. I : 2. Praeterea etiam reperientes Deum habere Filium Prov. XXX : 4; Hebr. I : 1, 2; et *sapientiam Dei* dici Filium Rom. I : 4, VIII : 32; coll. Joh. I : 14; generationemque aeternam depingi φωτός et ἀπαυγάσματος imagine; quid? Patri, Filio et Spiritui Sancto suum cuique adscribi munus in oeconomia, ex his omnibus effecerunt in simplici essentia divina inesse tres personas, sive τρόπους ὑπάρξεως, quae sunt unus summus Deus.

Voce *Persona* hoc sensu sumpta, et ad Trinitatis doctrinam applicata, a quovis attente perpendente facile intelligitur, quam cito omnes Arianorum, Socinianorumque cavillationes, culpationesque ob putatas apud nostros contradictiones, vi sua destituantur, corruantque.

CAPUT V.



PARS POSTERIOR.

§ 1.

Sententia Origenis.

Ut justum, rectumque ferre iudicium de Rœellii et Vitringae opinionibus possimus, opus est ut ad Patres ecclesiae, velut ad fontem, nos conferamus, qui primi de *aeterna Filii generatione* mentionem fecerunt, utque comparisonem illorum inter atque horum sententiam instituamus. Inter hos Patres in primis sunt recensendi Origenes et Athanasius : quorum alter Clementis *Alexandrini* et Tertulliani de τῷ λόγῳ doctrinam conjungere conatus, cum hoc processum ex Deo retinens, cum illo Filii aeternitatem defendens, auctor dogmatis *aeternae Filii generationis a Patre* fuit, alter in litibus cum Arianis et imprimis in Synodo Nicaena strenuum Deitatis et ὁμοουσίας τοῦ λόγου defensorem se praestitit. Ut nobis vero constet,

quid indicaverit Origenes hoc dogmate, inquirendum erit, quam tandem adjunxerit significationem τῷ λόγῳ sive Filio, et quid intellexerit *generatione*, ut ita palam fiat, quid *aeterna generatione* τοῦ λόγου innuerit.

Difficultatibus sane premitur Origenis doctrina, quia saepe fluctuatur in describendo τῷ λόγῳ, modo eum Patri subordinans, modo planè ejusdem essentiae eum dicens, eique ὁμοουσίαν adscribens¹⁾. Hoc inde explicandum videtur, quod Origenes τὸν λόγον etiam ante adventum in carne mediatorem habet Deum inter et mundum, unde duplex haec ejus contemplatio oritur, a Patre, et a mundo inde; ab altera parte a Patre procedens, est splendor ejus essentiae, ab altera vinculum Deum inter et mundum, et cum mundo et cum Patre junctum. Si igitur a mundo inde eum contemplamur, creator est mundi, tam excelsus ut eum Deo coïncidat, et nemo eum agnoscere possit, nisi Pater²⁾. Si vero a Deo inde eum consideramus, est genitus, Patri soli absoluto subordinatus, et infime positus. Utraque contemplandi ratio apud Origenem invenitur, et dubitationem in τοῦ λόγου descriptione affert. Alia praeterea hujus fluctuationis causa in eo est quaerenda, quod τὸν λόγον personae qualitate privare noluerit, quia secundum ejus aevi sententiam orthodoxam, conflueret cum persona Christi historici, ita ut, altera negata, altera periclitaretur. Ideo et personalitatem et Deitatem Filii affirmat et defendere conatur. Duplex hoc studium per totam fere Origenis doctrinam cernitur. Defendens argumentisque stabilire volens τὸν λόγον esse personam, semper Patri eum subor-

1) Cf. Redepenning. Origenes sine Darstellung seines Lebens, und seiner Lehre, Abth. II. p. 295 seqq.

2) *Contra Celsum* VI. 643 ed. de la Rue et de *Principiis*, interpr. Rufino, L. I. C. VIII.

dinat; τὴν ὁμοουσίαν vero urgens, Filium Patri plane similem esse contendit. Haec tandem ὁμοουσία etiam duplici sensu occurrit. Λόγος sive Filius splendor est Dei. Quum vero fulgor cum eo, unde defulget, communionem habet substantiae, Filius ὁμοούσιος cum Patre dici potest ¹⁾. Haec autem ὁμοουσία non plena est dicenda, quia Pater fons est ejus existentiae et major est illo.

Quamvis Origenes ita in varias opiniones abeat, in primis ortas ex saepe iterata τοῦ λόγου cum Jesu Christo permutatione, nihilominus ex scriptis verum ejus sensum efficere licet. Origenes enim necesse habet, ut Deus ab omni aeternitate se patefaciat, quia se manifestare ad perfectam Dei naturam pertinet. Unitas vero Dei absoluta, divina et immutabilitas fundamenta directa multarum rerum mutabilium esse non possunt, neque hac vera et plena sunt Dei patefactio. Propterea in sua Sapientia mundum, in quo se patefacturus esset, Deus sibi finxit. Haec effictio non est cogitatio praeteriens, sicut in hominibus, εἰ δέ τις οἶός τε ἐστὶν ἀσώματων ὑπόστασιν ποικίλων θεωρημάτων, περιεχόντων τοὺς τῶν ὄλων λόγους, ζῶσαν καὶ οἶονεῖ ἔμφυχον ἐπινοεῖν, εἴσεται τὴν ὑπὲρ πᾶσαν κτίσιν σοφίαν τοῦ θεοῦ, καλῶς περὶ αὐτῆς λέγουσαν· ὁ θεὸς ἔκτισέ με ἄρχην ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ (Prov. VIII : 22), δι' ἣν κτίσιν δεδύνηται καὶ πᾶσα κτίσις ὑφespάται, οὐκ ἀνένδοχος οὔσα θείας σοφίας, καθ' ἣν γεγέννηται· πάντα γὰρ κατὰ τὸν προφήτην Δαβὶδ ἐν σοφίᾳ ἐποίησεν ὁ θεός ²⁾. Haec Sapientia, mundi exemplar perfectum, hoc Dei consilium est ὁ λόγος, qui aeternus est ³⁾,

1) *Comm. in ep. ad Hebr. fragm. III. 697.*

2) *Tom. in Joann. I. 39.*

3) *In Fragmento apud Eusebium contra Marcellum I. c. 4. Deus*

quia Pater lux, sine fulgore esse nequit. Hæc Sapientia origo omnium est rerum, nam in hac ipsa Sapientiae subsistentia omnis virtus, ac deformatio futurae erat creaturae, vel eorum quae principaliter existunt, vel eorum quae accidunt consequenter, virtute praescientiae praeformata atque disposita: pro his ipsis, quae in ipsa Sapientia velut descriptae ac praefiguratae fuerant creaturis, se ipsam per Salomonem dicit creatam esse Sapientiam, initium viarum Dei, continens scilicet in semetipsa universae creaturae vel initia, vel formas, vel species ¹⁾. Genus est, cujus omnes res vitales species sunt, quae ad illum τὸν λόγον eodem modo se habent, quo partes ad totum ²⁾, harum vero partium unitas est. Logos in omnibus adest; per totam creationem dispergitur ³⁾, ut semper quae fiunt, per illum fiant; θεωρημάτων σύστημα in illo est depositum. Archetypa est imago multarum imaginum, exemplar primum, secundum quod omnes illae imagines formantur ⁴⁾, nam οὐσία est τῶν οὐσιῶν, et ἰδέα τῶν ιδεῶν ⁵⁾. Ille logos apud Deum in initio fuit, in Christo apparuit, et descendit perfectissime in hominum vitam. Cum vero logos, qui in principio apud Deum fuit, imo ipse fuit Deus, ad nos veniret, non idcirco e solio suo

non incepit esse Pater, sicut Patres hominum. Si enim semper perfectus est Deus, et vim habet Patris. Si quid boni inest ei, talem habere Filium; quare hac perfectione caruisset?

1) *De Princ.* I. 2, 2.

2) *Contra Celsum* V. 594.

3) *Tom. in Joh.* VI. 15. παρὼν παντὶ ἀνθρώπῳ, παντὶ δὲ καὶ ὅλῳ τῷ κόσμῳ συμπαρακτεινόμενος.

4) *Tom. in Joann.* II. 51, 71; *ibid.* VI. 107. πρωτότυπος τῆς ἐν ταῖς λογικαῖς ψυχαῖς ἀληθείας, ἀφ' ἧς ἀληθείας οἰονεὶ εἰκόνες ἐκείνης ἐντετύπονται τοῖς φρονούσι τὴν ἀληθειάν.

5) *Contra Celsum*, VI. 680.

egressus est, aut illud reliquit, ita ut loco vacuo deserto alium impleat ubi antea non erat, sed semper universum replevit ¹⁾. Patefactio insuper perfecta, plena Dei est, per eum tantum Deus cognoscitur et totus cognoscitur, nam manifestator Ejus est, figura expressa essentiae Dei, in qua Deus semper suam adspicit imaginem. Hoc indicat nomen *λόγος* et *verbum*, quatenus *ἀπαγγελτικόν* est. Minime autem Dei verbum, verbo quod homines loquuntur, simile est habendum. Illius verbum non est tale, quale omnium. Nullius enim verbum vivens, nullius verbum Deus est. Dei verbum peculiare quid in se habet, quod sit verbum vivum et in se subsistens ²⁾; et praeterea quod perfectam et totam Dei patefactionem continet ³⁾, Deo est consubstantialis. Natura est Filius ⁴⁾, semper et inseparabiliter, ab aeternitate Deus apud Deum, ipse Deus ⁵⁾.

Postquam ita vidimus in Origenis systemate τὸν λόγον sive Filium aeternam esse Sapientiam, in qua semina omnium rerum creandarum adsunt, vel τὸν κόσμον νοητὸν, facile nobis erit enucleare quid aeterna hujus Filii generatione indicare voluerit. Generatur Filius a Patre sicut splendor generatur a luce, minime sicut animalia vel homines pariunt, nam ita permutatio in Deo locum haberet. Ne quis

1) *Contra Celsum*. IV. 5.

2) *Hom. in Jerem.* XIX : 262.

3) *Comm. in ep. ad Hebr.* III : 697. *Tom. in Joann.* XXXII : 18 : „Et arbitror quidem ego totius gloriae Dei splendorem esse Filium, pervenire tamen particulares splendores ab hoc splendore totius gloriae ad reliquam naturam rationis capacem.”

Hagenbach, *Dogmengesch.* § 43 : 2 : „Wie ein Haus oder ein Schiff nach der Idee des Baumeisters geschaffen wird, so schuf Gott die Welt nach den in der Weisheit liegenden Idcën.”

4) *De Princ.* I : 2, 4.

5) *Tom. in Joann.* I : 47. II : 49.

incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt, ut divinam naturam in partes vocent, et Deum Patrem, quantum in se est, dividant. Cum hoc de incorporea natura vel leviter suspicari non solum extremae impietatis sit, sed etiam ultimae insipientiae. Magis ergo sicut voluntas procedit e mente, et neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur aut dividitur. Tali quadam specie putandus est Pater Filium genuisse, imaginem scilicet suam ¹⁾. Infandum enim est, dicit alibi, et illicitum Deum in generatione unigeniti Filii sui atque in subsistentia ejus exaequare alicui vel hominum vel aliorum animantium generanti, sed necesse est aliquid exceptum esse Deoque dignum, cui nulla prorsus comparatio non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidem inveniri potest. Est namque ita illa aeterna ac sempiterna generatio sicut splendor generatur a luce ²⁾. Generatio aeterna esse debet, quia ad Dei naturam pertinet generare, vel se patefacere, et irreligiosum esset aliud quid de Deo cogitare. Quomodo enim, ita Origenes, extra sapientiae generationem aliquando Deum vel ad punctum momenti quis potest sentire, qui tamen pium aliquid de Deo intelligere noverit? Aut enim non potuisse Deum dicet generare sapientiam, antequam generaret, ut eam, quae antea non erat, postea genuerit, ut esset; aut potuisse quidem, et quod dici de Deo nefas est, noluisse

1) *De Princ.* I : 2, 6.

2) *De Princ.* I : 2, 4.

Gieseler, *Lehrb. d. Kirchengesch.* B. VI. Abth. II. Cap. 3. § 27. p. 142. „Er (Origenes) entlehnt dagegen, um sich die Hervorbringung des Logos zu denken, seine Bilder aus *Sup.* VII : 25, 26. Wo die Weisheit genannt wird ἀπὸς τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως, ἀπάνυσμα φωτὸς αἰδίου.“ cet.

generare. Propter quod nos semper Deum Patrem novimus unigeniti Filii sui, ex ipso nati, sine ullo tamen initio ¹⁾. Quomodo enim aliquando fuisset Deus, quando non fuit Filius? Nam nihil aliud est id dicere, nisi fuit aliquando, quando veritas non erat, sapientia non erat, quando vita non erat, cum in his omnibus perfecta Patris substantia censeatur ²⁾. Huic autem Filii generationi minime finis est impositus, ita ut Deus generare desierit, contra semper procedit et continuatur, generatur Filius in aeterno hodie, quia Deus semper se patefacere pergit. Οὐχὶ ἐγέννησεν ὁ πατήρ τὸν υἱὸν καὶ ἀπέλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γενέσεως αὐτοῦ, ἀλλ' αἰεὶ γεννᾷ αὐτόν. Οὐχὶ ἀπαξ γεγέννηται, καὶ οὐχὶ (οὐκ ἔτι) γεννᾶται, ἀλλ' ὅσον ἐστὶ τὸ φῶς ποιητικὸν τοῦ ἀπαυγασματος, ἐπὶ τοσοῦτον γεννᾶται τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ θεοῦ ³⁾. Pater aeterni similis est fontis, cujus aeternus fluvius Filius est.

Ex his omnibus elucet, Originem indicare voluisse Deum semper perfecte se patefacere oportere. Indivisibilis natura et immutabilitas Dei cum non sinant, ut haec patefactio in multiplicitate et varietate mundi gradatim fiat, et mundus ipse perfectam Dei imaginem nec contineat, nec continere queat, opus est ut aeterna talis manifestatio adsit, in qua Deus imaginem suam perfectam possit contemplari. Haec imago perfecta, haec Deo adaequata patefac-

1) *De Princ.* I : 2, 2.

2) *De Princ.* IV : 28.

3) In *Hom. in Jerem.* IX : 181. *Tom. in Joann.* I : 32 : „Deo semper est *hodie*, „ita Origenes” neque enim vel vespera Dei, neque mane, meo quidem iudicio, sed tempus ut ita dicam simul se extendens cum illa ipsius ingenita et sempiterna vita, ipsi dies est *hodie*, in qua genitus est Filius : sic non invento originis ejus principio, sicut neque diei.”

tio ab Origene λόγος dicitur, qui ab omni aeternitate in Dei natura fundatus, apud Eum est. Ipse logus mundi est archetypus, vel aeterna unitas ejus idealis, unica Dei imago; principium mundi realis ét existentiae ét conservationis, quod totum mundum perlustrat, quippe cor mundi vel sermo, qui cuivis homini proprius est, totique mundo¹). In dies ó λόγος sive Filius generatur, in dies magis Deus patet in eo. *Aeterna* igitur τοῦ λόγου generatio hoc indicabit: Deum semper realem reddere illam manifestationem, quam ab aeternitate in τῷ λόγῳ idealiter sibi finxit. Est igitur aeterna Sui patefactio divina, qua Deus magis semper cognoscitur ab hominibus, qua quotidie magis conspicuus fit sua potentia, bonitate, amore, gratia omnique sua gloria in mundo reali.

§ 2.

Athanasii sententia.

Eodem modo ac Origenes, Athanasius de aeterna Filii generatione sensisse mihi videtur. Ex scriptis ideo ejus sententiam adstruere et exponere conabor, in quibus τοῦ λόγου significationem indicat, ejusque τῷ πατρὶ ὁμοουσίαν defendit, imprimis in litibus cum Arianis. Sicut ad Dei naturam pertinet ut sit bonus, sic etiam ei proprium esse putat Athanasius, ut se patefaciat²). Deus non tantum est transcendens, sed in mundo se manifestans adest tanquam principium immanens omnis harmoniae. Deus enim

1) Tom. in Joann. I: 22. Hom. in Jerem. VIII: 2. ed. Montefaucon.

2) Orat. cont. Ar. III: 66, ἀλλ' ὅσπερ ἀεὶ ἀγαθὸς καὶ τῇ φύσει, οὕτως ἀεὶ γεννητικὸς τῇ φύσει ὁ πατήρ.

sine patefactione cogitari nequit, et sine patefactione quidem sibi causae absolutae adaequata. Haec vero perfecta imago Dei cum mundus nec sit, nec ostendere illam possit, necesse est ut Deus in alia quadam re ab omni aeternitate se patefecerit, quae veram et perfectam Illius imaginem contineat. Hoc Deus fecit in τῷ λόγῳ, qui ab aeterno ei adfuit; nam Deus natura, non voluntate hujus Filii Pater est ¹⁾, quia Dei naturae proprium est ut se patefaciat, propterea igitur Filius etiam est aeternus, quia Deus aeternitate gaudet ²⁾. Nec aliquando imperfecta fuit Patris natura, ut quod illius proprium esset, postea accederet, aeternus est Dei Filius, quia semper perfectissima fuit Patris natura. Filius autem nihil aliud est, quam quod ex Patre gignitur, ejus verbum et sapientia et splendor ³⁾. Si Filius autem imago, splendor est Patris, semper cum Illo fuerit est necesse, substantia enim existente, ejus imaginem et figuram continuo esse prorsus necesse est. In hoc Filio Pater se contemplatur, sicut Prov. VIII : 30, ait Filius: *ego eram quo delectabatur*. Quando vero Deus incipit, se in Filio, tanquam in imagine contemplari? Quomodo creator omnipotens se in finitis rebus adspiceret? Imago talis debet esse, qualis Pater ⁴⁾. Propterea inter finita et creata recensere τὸν λόγον, sive Filium non licet. Quo-

1) *Orat. contra Ar.* III : 62.

2) *Orat. contra Ar.* I : 9, υἱὸς ἀληθινὸς φύσει καὶ γνήσιος ἐστὶ τοῦ πατρὸς, ἴδιος τῆς οὐσίας αὐτοῦ, σοφία μονογενῆς, καὶ λόγος ἀληθινός, καὶ μόνος τοῦ θεοῦ οὗτός ἐστιν, οὐ κτίσμα, ἀλλ' ἴδιον τὸ τῆς πατρὸς οὐσίας γέννημα· διὸ ἐστὶν ἀληθινός, ἀληθينوῦ πατρὸς ὁμοούσιος ὑπάρχων, χαρακτήρ τῆς τοῦ πατρὸς ὑποστάσεως, καὶ φῶς ἐκ φῶτος, καὶ εἰκὼν τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας.

3) *Oratio contra Ar.* I : 14.

4) Möhler, *Athan. d. Gr.* S. 228, 230.

modo enim, rogat Athanasius, Pater per eum crearet, cum non esset suus logos, sua sapientia; quodsi ὁ λόγος verbum, sapientia, vera imago Dei est, qui patefactionem perfectam, Deo adaequatam, continet, merito utique consubstantialis (ὁμοούσιος) ¹⁾, imo ipse Deus est; quia alius tantum τρόπος ὑπάρξεως est essentiae divinae. In hoc Filio seu verbo se patefacit Deus, quibus vult, in eo cognoscitur et creat omnia et sine illo nihil omnino facit ²⁾. Ut autem res factae non tantum existerent, sed etiam bene existerent, placuit Deo ut sua sapientia se ad res creatas accommodaret, ut formam speciemque aliquam ipsius imaginis cum in omnibus simul, tum in singulis imprimeret. Quoniam ergo hujusmodi sapientiae forma creata in nobis et in omnibus est, non immerito vera et opifex sapientia, ea, quae suae formae propria sunt, sibi ipsi adsciscens ait: Dominus me creavit in opera sua, quia ejus forma in operibus creatur ³⁾. Atque alibi rursus dicit *Sapientia*: quia opus erat ut sapientia sive λόγος in operibus crearetur, ego quidem secundum naturam meam cum Patre aderam, me

1) Dorner, *Entwicklungsgeschichte*, cet. I: 832. Vox ὁμοούσιος duplicem indicat negationem: 1^{am} Filius ex nihilo est, neque alius substantiae, neque alius essentiae quam Pater, proinde, neque creatus, neque mutabilis; 2^{am} Rejiciendum est, tempus fuisse, quando non esset, aut eum non fuisse, antequam genitus esset.

2) *Epistola de decr. Syn. Nic.* 23, 24.

3) *Orat. contra Ar.* II: 78. *Orat. contra gentes*, p. 35. Ὁ παντοδύναμος καὶ παντελεῖος λόγος, καὶ αὐτὸς ὢν θεός, ἐπιβάς τοῖς πᾶσι καὶ πανταχοῦ τὰ ἑαυτοῦ δυνάμεις ἐφαπλώσας, καὶ φωτίσας τὰ τε φαινόμενα καὶ τὰ ἀόρατα, πάντα εἰς ἑαυτὸν συνέχει καὶ συσφιγγεῖ, μηδὲν ἔρχομεν τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως ἀπολειπόμενος, ἀλλὰ πάντα καὶ διὰ πάντων καὶ ἕκαστον ἰδίᾳ καὶ ἀθρόως ὁμοῦ τὰ ὅλα ζωοποιῶν καὶ διαφυλάττων, quo in loco provocat ad *Joh.* I: 1.

vero ad res factas benigne accommodans, meam figuram in illis apte imprimebam, ut universus mundus concordaret ¹⁾ Nisi egregie fallor, hic consilium Dei aeternum, perfectam Ejus continens patefactionem indicatur, quod ab aeterno *idealiter* apud Deum exstitit, in mundo visibili vero *reale* fieri pergit, omnibusque naturis creatis efficitur. Deum autem semper se patefecisse in τῷ λόγῳ, illamque patefactionem *idealem* aeternam, sive τὸν λόγον, semper *realem* fuisse factam, ab Athanasio exprimitur dogmate de *aeterna Filii generatione*. Non enim Filius semel est genitus, et nunc non amplius generatur. Minime ita. Idem vinculum quod solem inter et splendorem existit, Patrem inter et Filium adest. Sicut sol semper suum fulgorem gignit, sic Deus semper τὸν λόγον generat. Semper fuit et est et nunquam non erit ²⁾, nam verbum natura sua proprius est substantiae Dei Filius ³⁾. Semper etiam τοῦ λόγον generatio continuatur et procedit. Πότε γὰρ τίς εἶδε φῶς χωρὶς τῆς τοῦ ἀπαυγάσματος λαμπρότητος; sic etiam semper ὁ λόγος Patris splendor generetur necesse est ⁴⁾. Si ejus generatio desinit, rerum creationi finis erit impositus. Nam si eum

1) *Orat. contra Ar.* II : 81.

Orat. contra Ar. II : 2. Οὐκ ἀμφίβολον ὅτι αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς ζωσα βουλή, καὶ ἐνούσιος ἐνεργεία, καὶ λόγος ἀληθινός, ἐν ᾧ καὶ συνέστηκε τὰ πάντα καλῶς.

2) *Orat. contra Ar.* I : 9.

3) *Orat. contra Ar.* II : 15.

4) Gieseler, I. I. § 60. p. 313 : „Um die ewige Zeugung zu erklären, gebrauchte Athanasius nach des Origenes Vorgange gewöhnlich die Vergleichung eines Lichtes und des Glanzes desselben. So wie der Glanz stets mit dem Lichte zugleich sei und doch von demselben hervorgebracht werde, so sei auch der Sohn von Ewigkeit her von dem Vater gezeugt.“

procedere, sic Athanasius, ipsum est gigni, igitur cum revertitur gigni desinet. Postquam vero ad Deum revertitur, Deus rursus silebit. Atqui si silebit, erit quod eo silente erat, nempe quies, non autem rerum creatio, quae proinde finem habebit. Nam sicut procedente verbo, factae sunt et exstiterunt res creatae, ita recurrente verbo, jam non amplius existent res creatae. Quare igitur Deus est locutus, ut posthac sileret? Cur vero protulit, quem deinde revocat? Cur cum *gignit*, cujus *generationem* finem voluit habere? Incertum autem est quid iterum erit, vel enim semper taciturus est, vel rursus est *geniturus*, aliasque res creandas cogitaturus ¹⁾.

Ex his apparet, quid Athanasius *aeterna τοῦ λόγου sive Filii generatione* significaverit. Si ὁ λόγος vera est imago Patris, ea effigies quae ὁμοούσιος dici potest, quia consilium divinum est in quo omnia finita constant ²⁾, et perfectam Dei patefactionem idealiter continet. Aeterna ejus generatio hoc indicet necesse est, quod Deus semper pergat in mundo visibili se manifestare, perficiens ea quae in aeterno suo consilio sibi proposuit, semper illud consilium, τὸν λόγον, ex quo cognosci Deus potest, generans, sicut sol splendorem suum gignit, nam sicut non aliter fieri potest quin lux vel sol fulgorem suum generet, ita Deus non potest non semper se patefacere.

1) *Orat. contra Ar.* IV : 12.

2) *De incarn. verbi Dei.* 41. *Orat. contra Ar.* II. 2. Dubium utique non est quin idem quoque sit Patris vivens consilium, sive voluntas (ἐνοῦσιος ἐνεργεία), substantialis efficacia, et verum verbum, in quo omnia et constant et recte administrantur. Cf. etiam II. 31.

§ 3.

Epicrisis.

Sententia Patrum Origenis et Athanasii exposita, non difficile erit ferre iudicium de Rœellii et Vitringae opinionibus, ad aeternam Filii generationem spectantibus. Quando enim eas comparamus cum Patrum doctrina, quae ex memoratis innotuit, videmus utrumque et Rœellium et Vitringam veram praetermisisse significationem, a Patribus huic dogmati tributam, qui de Deo philosophantes Deum transcendentem Patrem, Dei patefactionem perfectam, quae in mundo realis fieri debuit, Filium sive τὸν λόγον dixerunt. Utrumque praeterea ab egregio aeternae Filii generationis abeuntem adspicimus sensu, qui et cum principiis Christianis, quae Deum non tantum transcendentem, sed immanentem etiam poscunt, convenit, et cum doctrina biblica quae patefactionis necessitudinem in Deo ponit, conspirat ¹⁾. Utriusque igitur sententia coram Origenis et Athanasii tribunali vituperanda erit et improbanda. Vitringae sententia prorsus ab illis fuisset rejecta, quia illud quod metaphysices, philosophiae de Deo fuit objectum, locis e Scriptura Sacra petitis demonstrare voluit, in quibus vel nullus, vel de Jesu Christo historico sermo fit ²⁾, et ita discrimen τὸν λόγον inter et λόγον in carne manifestatum plane neglexit. Quod discrimen ab Athanasio in epistola contra *Apollinaristas* observatur, ubi discernit inter τὸν

1) Cf. *Prov.* VIII : 22—31. *Jobi* liber XXVIII : 23—27.

2) Cf. *Supra Ps.* II : 7; *Micha* V : 1; *Joh.* V : 26; *Col.* I : 15.

λόγον et Christum ¹⁾. Röellii autem sententiam Athanasius certe non tam acgre tulisset, qui Marcellum, Episcopum Ancyrensem eadem fere docentem excusatione dignum censuit ²⁾. Etenim ut Röellius, ita et Marcellus, quamvis in Synodo Nicaena τὴν ὁμοουσίαν τοῦ λόγου strenue defendisset, τὸν λόγον *Filium* factum esse contendit, cum carnem induit, patefactionem in genere humano perfecit, nomenque Jesu Christi adeptus est, praeterea rex declaratus, imago Dei invisibilis, et primogenitus omnis creaturae, quod antea nondum erat, constitutus ³⁾, ejusque generationem ita de manifestatione in tempore explicat. Causa igitur quare tam vehementer et impie Röellio aequales obstiterint, damnationibus execrationibusque eum sint persecuti, in eo quaerenda esse videtur, quod nec ejus sententiam probe intel-

1) *Contra Apoll.* c. 2, 3. οὐ δίχα σαρκὸς ἀνθρωπίνης ὁ λόγος Χριστὸς γέγονεν.

2) J. H. Scholten, *Leer der Herv. Kerk*, t. II. ed. 3^{ae}, pag. 180: „Onder de vaders van Nicaea,” inquit, „stelde Marcellus, bisschop van Ancyra den Logos voor als de eenwige wijsheid van God, en beweerde dat het praedikaat Zoon, niet aan den Logos *asarctos*, maar alleen aan den mensch geworden Logos, d. i. aan den *historischen Christus* mogt toegekend worden.” Cf. etiam id. *ibid.* p. 578 : 3.

Hagenbach, *Dogmengesch.* § 92 : 4 : „Er verwirft den Begriff der Zeugung (als der Gottheit des Logos zu nahe tretend). Ebendadurch suchte er auch dem Ausdruck *υἱὸς θεοῦ*, die ältere, historische Bedeutung zu vindiciren, nach welcher unter dem Sohne, der historische Christus in seiner persönlichen Erscheinung, nicht aber der vorweltliche Logos verstanden werden sollte, auf den sich der Begriff der Zeugung nicht anwenden lasse.” Cf. praeterea Möhler, *Athan. d. Gr.* S. 330, 31. 321—330 et *judicium Athanasii de Marcello*, *ibid.* S. 330, 31. Baumgarten Crusius, *Dogmengesch.* I, S. 152 ff. Baur, *Lehre der Dreieinigkeit*, t. I. p. 525 ff. Gieseler, l. I. S. I, p. 270.

3) Eusebius *contra Marc.*, I : 1.

lexerint, nec consilium divinitatis τοῦ λόγου in primis contra Socinianorum objectiones melius defendendae atque stabilendae, si generationem sensu vulgari ab illo averteret, comprehenderit, nec verum dogmatis sensum perceperint ab auctoribus Patribus illi tributum.

THESES.



I.

Röellius cum Marcello *episcopo Ancyrensi* in eo convenit, quod uterque nomen Filii τῷ λόγῳ denegavit, ad λόγον vero in carne manifestatum, Jesum Christum retulit.

II.

Origenes aeternae Filii a Patre generationis dogmate aeternam Dei patefactionem indicavit.

III.

In explicandis Scripturae Sacrae essatis, quae in dogmate de aeterna generatione Filii Dei a Patre adhibebantur, major laus Röellio, quam Vitringae est tribuenda.

IV.

Nihil est quod cogat vocem οὗτος 1 Joh. V : 20 ad proxime antecedens Ἰησοῦ Χριστοῦ referre.

V.

Non prorsus rejicienda videtur sententia V. D. Holwerda, qui in opere inscripto, *Bijdragen tot de witlegging van het N. T.* p. 85, conjicit 1 Cor. III : 4, lectionem ἀνθρώποι in ἀνθρώπου mutandam esse.

VI.

Psalmi CX Sect. 3 pro בְּהַרְרֵי legendum esse videtur בְּהַרְרֵי.

VII.

Verba δόξασόν με τῇ δόξῃ ἣ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί, Joh. XVII : 5 recte a V. Cl. Lampio explicantur de gloria mediatoria, quam Christus nondum plene possidebat, quam igitur a Patre petere necessum erat, quamque obedientiâ sua acquisiverat.

VIII.

Si Joh. XVII : 12 comparamus cum Gal. I : 19, Matth. XII : 4, et Apoc. XXI : 27, apparet Judam non necessario datis a Patre esse annumerandum. Itaque ille locus non valet ad dogma de *perseverantia sanctorum* impugnandum.

IX.

Traditio Johannem in Paschate celebrando in Quarta-decimanorum fuisse numero, nullo jure contra authenticam ipsius Evangelii afferri potest.

X.

Mysterium in N. T. dicitur veritas, quae ab homine antequam manifestata fuit agnosci non potuit : manifestata vero mysterium esse desinit. Haec vero manifestata veritas homini mysterium manet, quamdiu ψυχικὸς veritatem perspicere non potest. Veritas igitur duplici sensu hominibus mysterium esse potest, vel quoties φανέρωσις (*manifestatio*) deest, vel quoties φανέρωσιν ἀποκάλυψις (*revelatio*) non subsequitur.

XI.

Pulchre Paulus vinculum quod Deum creatorem inter et mundum exstat, expressit *Rom. XI: 36* formula: ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα.

XII.

Ariani in explicando *Joh. I: 14* triplicis sunt accusandi erroris : 1^{mi} Quod τὸν λόγον vere θεὸν dici negarent; 2^{di} Quod σὰρξ et σῶμα idem haberent; 3^{ti} Quod verbo ἐγένετο inclusionem τοῦ λόγου in corpore humano indicari contenderent.

XIII.

Minime Pelagianis, Socinianisque est assentiendum perhibentibus, peccatum oriri ex uniuscujusque libero arbitrio, ita ut homo peccato immunis esse et manere possit. Peccatum contra *haereditarium* est dicendum.

XIV.

Vere Cl. Schenkel (*Wesen des Protestantismus I. p. 1*).
 „Es ist einseitig und unrichtig darüber zu streiten, ob die

„Religion im Erkenntnißvermögen (Verstand), im Gefühle
 „(Herzen), im Begehrungsvermögen (Willen) Wurzel und
 „Sitz habe. Eben darum weil sie das menschliche Gesamt-
 „bewusstsein umfasst, ist sie die Centralsonne und nicht
 „bloss ein einzelner durchscheinender Strahl im Wesen
 „des Menschen.“

XV.

Frustra Romano-Catholica ecclesia nititur locis *Matth. X : 2, Matth. XVI : 18, 19, Joh. XXI : 15—17, ut Petro principatum vindicet.*

XVI.

In ethica Christiana nec de adiaphoris, neque de operibus supererogatoriis sermo esse potest.

XVII.

Doctrina Anselmiana de *satisfactione Christi* triplici nomine est vituperanda : 1^{mo} Quod Christus in obediendo Patri plus praestare potuerit, quam Dei lex requirat; 2^{do} Quod vitia alterius moralia, alterius virtute compensari possint; 3^{tio} Quod in virtute Christiana merito locus sit.

XVIII.

Qui aut civitatem ecclesiae, aut ecclesiam civitati subijciunt, ét ecclesiae, ét civitati nocent, Christique consiliis adversantur.

XIX.

Sacrorum antistiti, quamvis ea, de quibus ipsi persuasum est, minime negare debeat, tamen summopere cavendum est, ne quaestiones in Theologiae apicibus versantes, ipsisque

Theologis relinquendas, pro ecclesiae concione moveat, ne-
dum tractandas esse putet.

XX.

Qui auditores accurate docere, iisque persuadere velit
orator, in primis saccr, orationem pro concione habendam,
primum scripto, dein memoriae mandet.



